

[illegible]dace [illegible] y [illegible]

[illegible] 1672 [illegible] de Granada

DE
MAGISTRA FIDEI, ET HÆRESEOS DESTRVCTRICE DEIPARA VIRGINE MARIA.

TRACTATVS APOLOGETICVS.


ADVERSVS

Antidicomarianitas Hæreticos Fidei ipsius laudibus detrahentes.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO Don Didaco de Arce, Reynoso Episcopo Tudensi, Abulensi, & Placentino, à Consilio Regiæ Maiestatis, & in Hispaniarum, & Indiarum Regnis Inquisitori Generali

DICATVS

A D. DIDACO ESCOLANO, OLIM MAIORICENSI, nunc Turiasonensi, & electo Segoviensi Episcopo in lucem editus.



CÆSARAVGVSTÆ.

Apud IOANNEM DE YBAR. Anno 1664.

Tanto magis debemus commemorare vanitatem Hæreticorum, quanto magis quærimus salutem eorum.

Divus Augustinus in enarratione Psalm. 36.

CENSVRA REVERENDISSIMI P.Fr.Thomæ Frances de Vrrutigoyti, Miniſtri Provincialis, Ordinis Minorum, Seraphici Patris noſtri Franciſci, in alma Aragoniæ Provincia.



T iudicium meum prodam Excellentiſsimus Dominus Archiepiſcopus Cæſaraugustanus præcipit de libro qui intitulatur. De Magiſtra Fidei, & hereſeos deſtructrice, *cuius autorem veneror Illuſtriſsimum Dominum Don Dicacum Eſcolano; ſtatimque memoriæ occurrit (non vt cenſor me inmittam, ſed vt admirabilem agreſum tantæ pietatis brevi compendio producam) illud quod de curæ palatij formula refertur apud Caſiadorum 7.Var.5.* Decorum Magiſterium propoſitum om-

nino gloriosum in tam longas ætates mittere, vndè te debeat posteritas admirata laudare (*titulus qui libro apponitur,*) *sufficiebat pro Virgineis laudibus, aiente Casiodoro* 6. *Var.* 6. *in magisterij dignitatis formula.* Reverendum honorem sumit quisquis Magistri nomen acceperit, quia hoc vocabulum semper deperitia venit; & in nomine cognoscitur quid sit de moribus æstimandum. *Vt Marianos mores reverēter admiremur in orthodoxa fidei Magisterij encomio decoretur Deipara, potius de ipsa, & propius pro clamatum quod de Eugenitē protulit Senatui Vrbis Teodoricus Rex apud Casiador.* 1 *Var.* 13. Atque ideo Eugenitem illustrem virum litterati dogmatis opinione fulgentem, magisterij honore subveximus, vt gereret nomine quā possidebat meritis dignitatem. *Mordacibus hæreticorum dentibus oblatratur materna atque candidissima puritas, ali-*

quan-

quando, sine ratione mansit tam vaferrimus sermo, culpæ nubilum in fulgentiori Solis radio opponens: nec tollit maiori elogio commendandam Virginem quam Iudithã eo, quia de illa fuit Tartarea, ac diabolica astutia effingẽs tot deliramenta, de hac verò. Neque erat, qui loqueretur de ea Verbum malum, *cap. 8. verſ. 8. optimè Illuſtriſsimus Antiſtes. D. F. Ioſephus de la Çerda acad. 25. litterali in fine.* Vt quid tam temperata plebecula, quæ loquax, quæ mordax? *Vtrum quia malum non erat in Iuditha? nec iuſtior quam Dei genitrix, & tamen impia, atque impura moventur labia adverſus tantam Canditiem; recurrit doctiſsimus Pater ad cubiculi clauſuram, ſicque ex Stobæo, Ser. 19. à ſe relato concludit:* Quis invidus fæminæ quam non videt? in cubiculo latitabat. *In medium producitur Magiſtra Fidei invidos hæreticorum latratus experiens. Verum dum*

lin-

linguæ stimulis agitatur ad probra panegyricus protenditur sermo, vt obmutescat ad probra. Hinc intentum tanti agressus Concentibus Veneror. Expedit enim vt Hæretici inteligant in Castris Catholicorum, non vnum aut alterum esse, sed multos qui cum eis adversa fronte congredi audeant. *Ex S. Augustino* 1. *de Trinitate cap.* 3. *&* *lib. contra mendatium, cap.* 6. *inquit Cardinalis Bellarminus tom.*1.*præf. ad lectorem: causam ad. S. Gregorij Niseni oratione de laudibus Taumaturgi remito; nec erit qui in ipsa non delineet effigiẽ aut acumulet simulacrum.* Episcopus doceat ne iudex in venire posit quod puniat. *Aiebat Senator præfect. apud Casiadorum* 11.*Var.*3.*Populum doce Pastorali zelo, Maria Virgo tantum defensorem inveniat, à qua condigna tanti laboris merces accipietur. In meo enim tomo de Conceptione. sec.* 8. *sub sect.* 6. *num.* 128. *de*

Dei-

Deiparæ profero. Sicut Deus nihil relinquit impræmiatum ex operibus nostris quæ ei obsequntur ita Deipara nullum obsequium sibi præstitum sinit irrenumeratum. *Et illico exprimo, quis potens obsequia recipiens sequestrat præmium? A tanta largitrice gratulatio expectabitur, nã tam celebre obsequium tali, & tam subtili pennicillo, armorum vt ex Sacræ Scripturæ Sanctorumque Patrum eruditione Conciliorum documentis de promptum quis nisi Domini Mater sufficienter gratificare valet? In Regali S.P.N. Francisci Cæsaraugustano Conventu, die* 3. *Octobris. Anno* 1662.


Fr. Thomæ Frances de Vrrutigoyti.

IMPRIMATVR.

Fr. Joannes Archiepiscopus.

MA-

MAGISTRI Fr. RAImundi Lumbier. Exprovincialis Carmelitarum in Provincia Aragoniæ, Primarij Theologiæ Catedrari in Vniversitate Cæsaraugustæ, Sancti Officij Censoris, & Synodalis Examinatoris, Censura.



RÆSCRIPTO D.D.Iosephi Leyza, & Erasso, vidi librum Illustrissimi D.D.Didaci Escolano Tirasonēsis Episcopi, & Segoviēsis electi: de quo illud, quod de S.P.N. Cyrillo Alexandr. dixit Theodoretus Cyri, non immeritò protulerim, *vir*

paſ-

pascendi sortitus officium, cui grex tantus creditus est, & oves infirmas curare præceptum. Munere inquam, & officio se ad pascendum, & docendum constringi putat, cui Nomen à *Schola*, & doctrina: quem proindè, cum Tullio dixerim *Universæ Doctrinæ Scholam*: cui nulla vitæ pars ab institutione vacat: verbo informat, & re; vt virtutes non modo instillet auribus, sed animis infundat; & impensè oves amanti, *semel id egisse non sufficit, in amoris intentionem multiplicat inquisitionis*: Omnium se debitorem professus: Nunc *Pascit vulnere*, nunc *lactat vbere*: rectè illud Prophetæ executus. *Pastor iuxta cor Dei, pascens scientia, & intellectu. Pavit* quondam *vulnere*, & Christi Domini (credo si proprio licuisset) saginavit cruore. Scripto pijssimo de ipsius Passione Libello. Pavit tunc scientia, vt oves scire possent. *super eminentem scientiam*

In Anathematismos Cyrilli.

Cic. de Finib. lib. 2.

Gregor. hom. 25 in Evang.

Ierem. 3. 15.

Ephes. 3. 19.

G. Nazian. orat. 18.

** cha-

charitatis Christi, vt (quod Nacianzenus dixit) *quamvis corpore abesset, Spiritu tamen adesset; & quibus lingua epitulari non poterat, eisdem per litteras seccurreret.*

Nunc *Lactat vbere* proposita B.V. Maria Magistra, & Protectrice Fidei: præclarè quidem, quam idem. P.N. Cyrillus Hom. 6. contra Nestorium apellavit. *Rectæ Fidei sceptrum, & Normam*, & Rupertus *Fidei, & Religionis Magistram*. Rectè rursus, ô Beatissima Virgo. cui accinere libet, & licet, quod tibi præstantiori Reginæ, idem P. Cyrillus. *Licet omnis variarum virtutum pulchritudo divinis oculis gratissima, & notissima in te radiet; excercitatio autem, & studium Shenum tibi est, vt Fides recta sit, & nullo modo vacillans ornetur*. Pascit nunc intellectu, Donum intellectus ad Fidem pertinere dixit S. Thomas, & ita liceat mihi libellum inscribere. & Titulum

Cyrill. hom. 6. contra Nestorium.

Rupert. l. 1. in cant.

Cyrill. de Fide ad Reginas.

D. Tho. 2. 2. q. 7. à 2.

in-

indere, vt omnia P. Cyrillo debeam: *Mentis Fundamentum, Animi Splendor, Cordis Corona, Fides*, ex Paulo, *Futurarum rerum substantia, & fundamentum est*, cui Illustrissimus Auctor Fortissimum Præsidium, & Protectionem comparat *Choros castrorum Sulamitis*, vt fides nullo modo vacillet.

Ad Theodosiũ de recta Fide.

Cant, 6. 12.

Iustè quidem viro Pascendi perito *Grex tantus commissus est*, vt post tot emensos honores, post tot Dignitatum gradus, ad Tertium Pontificatum traducatur. *Gaudent divina perpetuo motu, & iugi agitatione se vegetat æternitas, indefessa vertigo. Cælum rotat, Sol stare nescit*, dixit Theodosio Pacatus Sic Illustrissimi Episcopi animus veluti quoddam Astrum, in Reipublicæ Christianæ emolumentum perenni curarum motu exerceri solet, stare impatiens, vt quasi Sol summo de vertice eiaculetur ardorem in partes

Paccat. Panegir. ad Theodosium.


 tes


tes omnes. Prodeat igitur opus, vt toto cœlo Doctrinæ, & intellectus luce diffusa, diem efficiat; è Carmello Cæsarau gustano die 8. Octob. 1663.

Fr. Raymundus Lumbier.

IMPRIMATVR.

V. Leyza, & Erasso, Assesor.


I. Renedo. F.



MAGNO * MAIORI * MAXIMO

Prudentia *Iustitia* *Pietate*

NOBILISSIMO * ILLVSTR.^mo^ * REVEREN.^mo^

Virtute *Sanguine* *Modestia*

D. D.

DIDACO ARCE REYNOSO.

In fidei celo. *In Arcendo.* *In faeliciter regendo.*

Episcopo: Regio Consilia.° Inqq.^ri^ Gen.^li^

Opere, et nomine. Scientia, & secreto. Nulli secundo.

D. Didacus Escolano Episcopus olim Maioricensis nunc Turiasonensis suus ex corde cliens Et Capellanus

Innumeros vitæ annos = Salutem plurimam & æternam fælicitatem exoptat, & orat.

I. Renedo. F.

DEDICATORIA.



IBELLVS iste seu tractatus (Illustrissime, & Reverendissime Domine) duplici ex causa (omissis alijs) nomini tuo sine dubio dicandus veniebat: primo; quia in eo agitur de fide, cuius in his Hispaniarum, & Indiarum Regnis præcipuus meritò defensor existis: Secundo; quia de eius Magistra, Deipara Virgine Maria sermo protrahitur, eiusq; in observatione, præstantia, exponitur, & laudatur; cuius te addictissimum semper novimus Capellanũ, mancipatumquè cultui quotidianis exẽplis, quo duce, & comite non solum clientelæ tuæ famuli, sed exteri assiduam venerationem tantæ Matris æmulari potuerunt, sed exercere valuerunt. Te igitur (Præsul Amplissime) Mæcenatem quærit opus, quid ni Patronum

quæ-

quærat qui res à te gestas in fidei defensionem, & Virginis Matris cultum, & reverentiam in nulla non vrbe prædicat? aut magnopere Poëta fallitur: aut scite ab eo dictum: Quod fecit quisque, tuetur opus. *Tuere agedum, cuius tu facto magis, quam qui calamo scripsit, autor es; tuoq; nomine sigillatas has lineas breves sub vmbra tua suscipe, & in lucem editas protege: nos iam diu obsequentissimos Dominationi tuæ in auxilijs, & memoria fove, cui pacem cœlitus impetrare curamus, summum bonum cum felici, & longiori vita precantes, vt cum recta iustitiæ administratione in Fidei augmentum suppa-rem pietatem pari & præmio potiaris, ex corde desideramus, & incessanter rogamus.*

Illustrissimæ, & Reverendissimæ
Dominationis tuæ.


Ex corde cliens, & Capellanus.

Didacus Episcopus Turiasonensis.

PRÆ-

PRÆLVDIVM

ET AD BEATAM VIRginem Deiparam MARIAM Dominam nostram huius operis commendatio.

EGRE semper tuli (ò Mater mea Maria) quantum inimici tui (immò potius nostri) indificientem fidem tuam, ex qua tota nostra salus advenit, labefactare, & adlatrare conentur; sicque mea erga te devotio compulit, vt dum contra hæreticam pravitatem Inquisitoris munere fungerer quæ circa hanc fidem in librorum voluminibus studij tempore inveniebam, alibi adnotarem; posteaque ardor devotionis meæ passim profligabat, vt ea in vnum redigerem, typisque dari, iussissem. Sed cum in laudibus tuis, ò Beata, & numquam satis laudata Mater nostra, Angelicæ Pote-

ſtates loqui contremiſcant, quomodo ego peccator homo dete, ò Mater Dei, verba texere conſulto auderem? Sicq; ex multo tempore negocium hoc intermiſſum, licet non oblitum habuimus. Sed nunc Petri Martyris Inquiſitoris die; quem tu, ò Beatiſsima Virgo tua viſitatione honoraſti, illumq; ad Martyrium ſuſſerendum pro fidei confeſsione roboraſti; noſque Patronum iandiu veneramur, & colimus; quædam noſtrum pulſavit animum audacia, vt ſuo freti iuvamine, in obſequij tui ſignum, hoc elaborandum opus caperemus. Cedat vtinam in aliquam tuam laudem ò Pijſsima Mater, evertendiſq; hæreticis contra fidem tuam allucinantibus remedium noſtræ fidei, & devotionis augmentum; tuæq; circa me, & alios peccatores, protectionis iubar; quod vt ſemper experiamur, ſupliciter petimus, & enixe rogamus.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM, ET §§. HVIVS OPERIS.



FE DE ERRATAS.

T *Ardent?* pag. 10. rengl 28 ha de dezir *ardentis? Sacre* pag. 15. ringl. 29 ha de dezir *Sacra putes* pag. 16 rengl. 2 ha de dezir *putas. & tymo* pag. 17. rengl. 2. ha de dezir *Etymo Divo* pag. 19. rengl. 7. ha de dezir *Divi. Seus.* pag. 33. ringl. 20. ha de dezir *Senus amantissimus* pag. 42. ringl. 30. ha de dezir amantissimus *adorent.* pag 58. ringl. 1. ha de dezir adorarent. *Sacramento.* pag. 83. ringl. 10. ha de dezir *Sacramenta. penitius.* pa. 87. ringl. 9. ha de dezir *penitus. Sentiebat* pag. 87. ringl. 19. falta despues dol *Sentiebat. cum Patre.* y luego ha de prosefuir à Patre recederet. *Maria.* pag. 88. seg. folio ringl. 30. ha de dezir *Mariæ. placuit* pag. 100. ringl. 8. ha de dezir *placuit. Surragûtur.* pag. 101 ringl. 30. ha de dezir *sufraganitur. Beata.* pag. 117. ringl. 32. ha de dezir Beatæ. *tumquã.* pag. 142. ringl. 7. ha de dezir *tanquam. malleyum* pag. 142. ringl. 22. ha de dezir *malleum. fuer.* pag. 175. ringl. 15. ha de dezir *fuerit. consequestus.* pag. 185. ringl. 8. ha de dezir *conquestus. tetegit.* pag. 201. ring. 2 ha de dezir *tetigit Fide dime.* pag. 205. ringl. 7 en el titulo ha de dezir *Fides Dime. tante Fides* pag. 208. ringl 22. ha de dezir *tanta Fides. mansuetuse.* pag. 207. ringl. 19. ha de dezir *mansuetus se. patulo* pag. 238. ringl. 21. ha de dezir *patulo. per.* pag. 260. ringl. 9. ha de dezir *par. exassatus* pag. 261. ringl. 16. ha de dezir *exulatus.* Verbo. pag. 263. ringl. 27 ha de dezir *Verbi.* Relgiones. pag. 268 ringl. 13. ha de dezir Religione. *Patriti* pag. 269. ringl 23. ha de dezir *Patritij. ratione.* pag. 274. ringl. 26. ha de dezir *natione.* Cuble. pag. 281. ringl. 18. ha de dezir *cubile. eies.* p. 284. ringl. 22. ha de dezir. *eius. integerrim* ringl. 31. pag. 284. ha de dezir *integerrimi. in scribende.* pag. 287. ringl. 2. ha de dezir in scribendo. *apaerent.* pag. 296. ringl. 25. ha de dezir *apparerent. mei* pag. 297. ringl. 5. ha de dezir *mea. regum* pag. 298. ringl. 22. ha de dezir. *rogum. in erris* pag. 301. ringl. 19. ha de dezir. *in terris.* in Martiali. pag. 305. ha de dezir, in Mariali. *fælcius.* pag. 309. ringl. 3. ha de dezir *fælicius.*

CA-

CAPVT. I.

FIDES QVAM PRÆCLARA, & necessaria virtus, sed sine operibus non iustificare, adversus Brentium, Culmanum, Sarcerium, & alios Hæreticos exponitur. Hancquè perfectissimam, Beatam Virginem habuisse demonstratur.



VIS non videt, quantæ sint Hæreticorum versutiæ, vt Catholicæ Fidei professores possint decipere? Quanta calliditas ne errorum suorũ virus detegatur? Quod est sub specie boni, celebrant, intus, quod condemnari possit, relinquunt; quod nunc concedunt, postea negant; in eo quòd laudant, quod spernẽdum esse possit, insinuant; & cùm à veritate aliena illorum semper mens sit, nihil quod certũ sit, & stabile figere sciunt. Exemplũ prębet Hæreticus Brentius, qui sub prætextu laudandi Virginem, eiusquè Fidem celebrandi; eam exaltat, eius Fidem profitendo, sed impudenter bonorum operum necessitatem excludit, ita enim ait: *Mariæ beatitudo per eandem rem, per quam, & Abrahæ contigit: videlicet quia credidit, & per Fidem Beata est, & non per vlla opera: quis ergo deneget Fidei deberi omnia?* *Apud Salmer tom. 3. tract. 10.*

 Cul-

In Postilla in festo Visitat. Mar.

Culmanus: *Per Fidem Beata est, non per vlla opera: & sola Fides glorificanda est, vt hic vides, non vllum opus.*

In Evangelium Lucæ.

Sarcerius: *Commendat Mariæ Fidem, & excludit meritum. Beata, inquit, quæ credidit, non, inquit, quæ meruit.*

Sed antequam ad tanti erroris refutationem accedamus, & istorum Hæreticorum subdolam mentem manifestam faciamus, exponere prius licet; Theologalium virtutũ primatum habere Fidem, nõ in dignitate, sed in loco, vt sic dicam, fundamentumquè esse omnis Christianæ vitæ; ita vt vbi hæc desit, aut vacillet, tota ruat structura: itaquè summe nobis necessaria est. Principio quidem ob immensam Dei Maiestatẽ, quæ ratione sufficienter nequit, Fide verò cognosci potest: deinde Fides requiritur, vt homo prę mium sibi destinatum promereatur; qua in re non solum hominis voluntas divinis obsequijs impẽdenda, sed etiam intellectus, illam divinæ volũtati, istum divinis iudicijs subijciendo. Postremo finis omniũ nostrum ad quem conditi sumus, est Deo æterno frui, Deum inter immortales delicias semper aspicere, & cum hoc supra naturam sit, quo pertingere nõ potest ratio, consequitur Fides, vt eleganter Leo Pontifex exponit dicens. *Magnarum hic vigor est mentium, & valdè fideliũ hoc lumen est animorum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu.*

Supponendum etiam est solam Fidem, sine operibus non iustificare: *Nam si habuero omnem Fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum*; vt Pauli verbis vtamur; sicquè sine operibus mortuam, dicit Iacobus Apostolus: & secundum Matthæum: *Non om-*

1. Corinth, 18.

Epist. Canonica cap. 2.

omnis, qui dicit mihi Domine Domine (quòd est Fidei solius) *intrabit in Regnum Cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum; & in Christo Iesu, nequè circumcissio aliquid valet, nequè preputium, sed Fides, quę per charitatem operatur*; vt Paulus etiam docet. *Galat.* 5.

Audivi vocem de Cœlo dicentem mihi (Evangelista Ioannes scribit) *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Quæritur nunc, an in Domino moriantur, & Beati dici possint, qui Fide nuda in Deum credendo, & in illo confidendo, vitã fimierunt, vt vitam æternam consequi possint? Cui difficultati verba, quæ sequuntur satisfaciunt: *A modò dicit spiritus requiescent à laboribus suis.* Quasi dicat parum prodest, si quis habeat Fidem, & spem credendo in Deum, & in illo fidendo, nisi iungat aliam virtutem, scilicet, charitatem bene operando. Qui sensus magis roboratur, & confirmatur vltimis, & sequentibus verbis: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Sicquè in Domino moritur, qui Fide viva, & operibus confirmata moritur, non ille qui Fide nuda, & sine operibus mortua, cursum cõsumavit, cùm veram Fidem non servavit iuxta Apostoli Pauli sententiam. *Apocaliyp.* 14. *2. Thimot.* 4.

Divus Petrus cum nos armari desideret, vt fortiter contra Zabulum dimicare possimus, ex eoquè victoriam reportare, non cum Fide sola in certamen ingredi iubet, sed cum fide viva alijsquè virtutibus sociata, præcipuè sobrietate, & vigilantia, cum certò teneat, & firmiter credat Fidem solam, & sine operibus mortuam, nihil proficere; & sic ait:

1. Petri 5. *Sobrijestote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tãquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in Fide.*

Plenæ sunt Sacræ Scripturæ paginæ testimonijs, quibus Dominus nos ad bona opera exercenda hortatur, quæ intelligenda veniunt de fideli non habente opera charitatis, vt mediantibus illis iustificari, & salvari possit; quia Fides sola sine operibus non iustificat, sic Psalmista cùm petisset à Domino, quis in illo tabernaculo esset habitaturus, respondit statim dicens: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*: Et cùm postmodum aliqua virtutum opera enumerasset, subdit. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum*: non dixit, qui credit hæc, sed qui facit hęc, vt ostenderet operum virtutem, & necessitatem.

Psalm. 14. Vers. 2.

Apud Esaiam Prophetam scriptũ repertur, quantum Dominus nobis commendet bona opera, vt ad nostram salutem præcisse necessaria, non verò solam Fidem; vt sequentibus verbis demonstratur. *Quiescete agere perverse, discite bene facere, quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.*

Esaia 1.

Ioannis 15. Dominus apud Ioannem ait: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum Pater meus*: Tollere (vt infra ipsemet ait) est mittere illum in ignem, vt ardeat, quum ergo non ob aliud condemnatur, quàm quòd fructum non fecerat; convincitur inde opera esse necessaria.

Apocal. 22. Et in Apocalypsi legitur, dixisse Dominum: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.*

Rur-

Rursus differens Dominus de vltimo iudicio, vitam æternam promittit his, qui opera pietatis in pauperes, & egenos exercuerunt; & ignem æternum decernit illis, qui eius opera facere contempserunt. *Matthæi 25.*

Adolescenti petenti à Domino, quid faciendo vitam æternam possideret, respondit Dominus. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ex quo loco satis evincitur, mandata exigi, tamquam necessaria ad vitæ æternæ assecutionem. Nam si necessaria non essent, non iam præcepta, sed consilia dicenda essent: Cùm hoc constet esse discrimen inter præceptum, & consilium, quòd hoc suadetur tamquàm bonum non tamen exigitur, vt necessarium: illud verò sic exigitur, vt de illo ratio reddenda sit. Quòd si necessaria non sunt, præcepta dicenda non sunt. Non enim præcipiuntur, nisi vt fiant. *Matthæi 19.*

Iterum de mandatis servandis repetit Deus apud Matthæum, & Marcum: in illo cùm in Cœlum ascensurus Discipulis suis ait. *Euntes docete omnes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumquè mandavi vobis.* Et in isto; ita ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Quibus in locis, duo maximè consideranda veniunt: in illo apud Matthæum, quòd non dixit Dominus, docentes eos credere tantum, sed servare omnia, non ergo sola Fides sufficit. Et in altero apud Marcum, quòd ex eo, patet etiam vltra Fidem requiri baptismum, ergo non sola Fides sufficit ad salutem. Aut si hæc sola sufficit; baptismus non est necessarius. Quum verò dixit, qui autem non crediderit, condemnabitur; do- *Matth. vltimo.* *Marci vltimo.*

cuit

cuit baptismũ sine Fide non prodesse, quemadmodum, nec Fides sine baptismo.

Cantic. 4. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Canit Sponsa; hunc locum Rupertus Abbas (respiciens Mariam in Anima sancta, & Christi Sponsa) ita interpretatur. *Ecce abijt, ecce recessit comprehensus ab impijs, & occisus abijt in sepulcrum, recessit in Cœlum. Revera amore langueo; igitur fulcite me floribus: stipate me malis; hæc mihi sit consolatio. Amore languens pro absentia dilecti, vndè possum consolari, nisi ex eo vt credatis, & credentes vitam habeatis in nomine eius: O populi vniversi! Credendo fulcite me floribus; benè operando, & fructus vitæ æternæ percipiendo, stipate me malis:* Quibus evincitur non solam Fidem sufficere ad salutem, nisi sociatam operibus bonis.

Rupertus in Cantic. 4.

Hoc etiam Scripturæ Sacræ Testimonium pro Beatę Virginis Fide maximè conducit, quæ tantò nostræ Fidei nostriquè profectus desiderio teneatur, vt magno gaudio perfundatur, cùm videat augeri credentium numerum, & benè operantium multitudinem, vt tristitiam, quà premebatur in dilecti sui abitione ad Crucem, & absentiam cùm in Cœlum abierat, credentium Fide operibusquè lenierit: Christiquè sui absentis fidelium Fide, & virtutibus velut præsenti medicina occurrerit. Notandumquè venit, quòd Virgo non fulciri tantum Fidei floribus petit, sed, & operum malis stipari, quia illi Fides nuda non placet, nisi Fidei adiungantur opera: *& flores fructum parturiant*, sicut antea Sponsa invitaverat Sponsum suum. Vndè Sanctus

Cantic. 7. vers. 12.

Pros-

Prosper. *Finem bonæ voluntatis iustæ actionis genitricem*, vocavit; vt in manibus, & in operibus appareret. Et si Fides, flos est, fructum parturire debet, & opera producere; nam, vt inquit Sanctus Antonius de Padua. *Animæ Virginitas, & Fides, per dilectionem operans animam incorruptam conservant.* *Lib. 1. de vocatione gentium.* *Serm. in Dominica 5. post Pascha.*

Hæc Catholica veritas diversis Conciliorum decretis confirmata etiam apparet. Primò ex Concilio Oecumenico, & Generali Viennensi sub Pontifice Clemente V. à quo, & à Ioanne XXII. eius successore, condemnata fuit per annum 1318 secta illa Begardorum, & Beguinarum in Alemania orta, qui inter alios errores, illum totis viribus defensabant: *Quòd illi, qui erant sub certo gradu perfectionis, & in spiritu libertatis, non erant humanæ subiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligabantur, quia* (vt aiebant) *vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Merito damnata fuit hac hæresis, nam sine operibus iustificari sola Fide tales credebant, nec opus esse, bonum operari, fit mentio de secta hac, eiusquè damnatione in Clementina prima de Religiosis domibus, & in extravaganti *Sancta Romana*, quę habetur inter extravagantes Ioannis XXII. titulo de Religiosis domibus; & in Clementina *ad nostrum* de Hæreticis; & agunt Eymericus in direct. Inquisit. 2. part. quæst. 16. & Peña in Commentarijs ad illum dicta 2. part. Comment. 40. vers. ex his. Author Repertorij Inquisitorum Verbo Beatæ Tertiæ Regulæ, & Verbo; Begardi, & Beguinæ; Guido Carmelita in summa, tit. de Hæresibus Beguinorum; Alvarus Pelagius lib. 2. cap. 52. de Plan- *Concilium Generale Viennen.*

ctu

ctu Ecclesiæ.Bernardus Lutzenaburgus in Cathalogo Hæreticorum, lib. 1. verb. Begardi Turrecremata in summa de Ecclesia, lib. 4. part. 2. cap. 37. Sãctus Antoninus in summa, par. 4. tit. 11. cap. 7. §. 4. & 5. Prateolus lib. 2. de vitis, & sectis Hæreticorum, cap. 17. & multi alij.

Concilium Senoniense, Decreto 16. Postea anno 1528. in Concilio Senoniensi tempore Clementis Papæ Septimi Decretum hoc de Fide, & operibus, merito, & gratia in medium prolatum fuit. *Frequens illud est apud imprudentes, & qui non tàm animi moderatione, quàm impetu feruntur, vt dum ab altero vitiorum in caute diffugiunt, in alterum prolabantur. Cuius rei Lutherus Fidem facit, qui dum operum fiduciam nimis insectatur, nihil tandem operibus reliquum facit: atquè ita vnius Fidei patrocinium suscipit, vt solam agnoscat, opera reijciat, & condemnet. Verum si rectè perpendantur; quæ producit de scripturis testimonia, reliquas virtutes non excludunt. Quæ verò contra opera citat, ea omnia, vel ad nimiam in operibus fiduciam, vel ad legales ceremonias pertinent.*
Abac. 1. *Fide quidem viuimus: & sine hac impossibile est*
Hebr. 11. *placere Deo, si quis nihilominus habuerit omnem*
1. Corinth. 13. *Fidem, ita vt montes tranferat, charitatem autem non habuerit, nihil est. Fide iustificamur: sed, & spe*
Roman. 9. *salui facti sumus: & dimissa sunt Mariæ Magda-*
Roman. 8. *lenæ peccata multa, quoniam dilexit multum, si quis*
Lucæ 7. *enim (dicit Dominus) diligit me, sermonem meum*
Ioan. 14. *seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ve-*
1. Corinth. 13. *niemus, & mansionem apud eum faciemus. Nunc igitur manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autem horum est Charitas, & in viuificando,*

iusti-

iustificandoquè potior : quando quidem Fides sine operibus mortua est. Tùm demum vtilis est ad salutem cùm per dilectionem operatur. At charitas non est ociosa, sed per bona opera satagit, vt certam vocationem nostram electionemquè faciat. Non enim Auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur; dum ille reddet vnicuiquè iuxta opera sua, dum vnusquisquè mercedem accipiet secundum laborem suum. Quando quidem omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisquè propria corporis, pro vt gessit, sive bonum, sive malum. Vbi eos, qui à sinistris erunt, non solùm increpabit Dominus, quia non crediderunt, sed quia misericordiæ non vacaverunt. Eos autem, qui à dextris erunt, commendabit non tàm à Fide, quàm à bonis operibus: opera enim illorum sequuntur illos. Talibus siquidem hostijs promeretur Deus, facietquè tandem omnis misericordia locum vnicuiquè iuxta meritum operum suorum, non absoluta condignitate quidem (nequè enim condignæ sunt passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis) sed gratuita magis, & liberali repromissione: qua conventione facta de denario diurno, conduxit operarios in vineam suam, qua, inquam, qui suffert tentationem cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromissit Deus diligentibus se; & ei, qui Fidem servaverit, certaverit bonum certamen, cursum consumaverit, coronam iustitiæ reddet in illa die iustus ille Iudex, qui nos, & si servos inutiles, sua misericordia dignos facit, in partem sortis sanctorum. Non iustificat igitur sola Fides, sed magis

Iacobi 2. Galat. 5. 2. Petri 1. Rom. 2. 1. Corinth. 3. 2. Corinth. 5. Hæbreo. 13. Ecclesiast. 16. Roman. 8. Matthæi 20. Iacob. 1. 2. Timoth. 4. Luc. 17. Colossen. 1.

charitas, nec quævis opera, peccata sunt: sed ea tenus, adultis ad salutem necessaria, vt meriti quoquè rationem non respuant.

Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 19.

Postremo Sacrosancta Tridentina Synodus pluribus Decretis docet solam Fidem sine operibus iustificare nō posse. Primi verba formalia sunt. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter Fidem, cętera esse in differentia, nequè pręcepta, nequè prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.*

Sess. 6. Can. 20.

Alterius Canonis verba sunt. *Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observationem mādatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi verò Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.*

Sess. 6. Can. 21.

Tertij verò Canonis verba. *Si quis dixerit Christū Iesum à Deo hominibus datū fuisse, vt Redemptorem cui fidant; non etiam vt Legislatorem, cui obediant; anathema sit.*

Sanctorum Patrum etiam concors sententia est apprimè hanc catholicam veritatem defensantium.

Basilius in Regula Monach. cap. 94.

Beatus Basilius in Regula Monachorum inducit Monachos petentes in hunc modum. *Quomodo potest quis sine Charitate tantam Fidem habere, vt montes transferat, aut substantiam suam dividat, & corpus suum tradat, vt ardeat?*

Huic autē quæstioni respondit Basilius huiusmodi verbis. *Si memores sumus Domini dicentis: faciunt enim omnia, vt videantur ab hominibus: sed, & illud, quòd respondit illis dicentibus: Domine nonne*

in

in nomine tuo Dœmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Cùm ait ad eos: Nescio vos vnde sitis, non quia mentiti sunt, sed quia Dei gratia abusi sunt ad proprias voluntates, quòd vtiquè alienum est à charitate Dei.

Divus Gregorius in Homilia super Evangelium de eo, qui non habuit vestem nuptialem. *Quid ergo (inquit) debemus intelligere per vestem nuptialem, nisi charitatem? Intrat enim ad nuptias, sed cùm veste nuptiali non intrat, qui in Sancta Ecclesia Fidem habet. sed charitatem non habet*; & post pauca. *Mirandum est valdè quòd hunc amicum vocat Dominus, & reprobat: acsi apertius dicat, amice, & non amice: Amice per Fidem, & non amice per operationem, seu charitatem.* Homilia in Matth. 22.

Fides (inquit Divus Augustinus) *sine charitate quidem potest esse, sed non, & prodesse.* Et tractatu in Ioannem. *Iam* (inquit) *credit aliquis in Christo, sed odit Christũ. habet confessionem Fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: adde huic Fidei dilectionem, vt fiat Fides, qualem dicit Apostolus Paulus, Fides, quæ per charitatem operatur.* Idemquè varijs in locis profitetur Divus Augustinus libro de de spiritu, & littera, cap. 32. & tractatu 83. in Ioannẽ, libro de agone Christiano, cap. 13. Lib. 15. de Trinitate, cap. 18. Et tract. 10. in Ioannem.

Et Sanctus Hieronymus contra Iovinianum, hanc eandem veritatem edocet. *Frustra nobis* (inquit) *in eo aplaudimus cuius mandata non facimus. Scienti bonum, & non facienti illud peccatum est. Quomodo corpus sine spiritu mortuum est: sic, & Fides sine operibus mortua est. Nequè grande putemus credere vnum Deum esse; cùm, & Dœmones credunt, & contremiscunt.* Lib. 2. contra Iovinianum.

Probatur etiam hæc veritas vnanimi doctrina, & sententia Theologorum, qui tradunt Fidem Christianam habere duplicem formam; alteram essentialem, alteram accidentalem. Essentialis est, qua dicitur habitus intellectus, & donum gratiæ divinæ gratis datæ. Accidentalis est charitas, quæ perficit Fidei habitum, eumquè dirigit ad suum obiectum, quòd est Deus: vt eum quem per Fidem cognoscit, diligat, eiusquè mandatis obediat: atquè ita fit virtus Theologica. Hanc formam si Fides nō habeat, dicitur informis: non quòd in homine non sit, sed quòd ei nihil ad salutem prosit. Manet enim in intellectu sicut alius habitus supernaturalis, per quem homo credit omnia post peccatum, sicut antea. Quemadmodum, & dono linguarum, prophetiæ, & eiectionis Dæmonum, quis vti potest, sive peccator sit, sive iustus, vt colligitur ex Verbis
Matth. 7. Christi, Matthæi 7. *Multi* (inquit) *dicent mihi in illa die, Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia numquam novi vos: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Videndi sunt Divus Thomas, 2. 2. quæst. 4. articul. 3. & 4. & quæst. 6. art. 2. Magister sententiarum, lib. 3. distinct. 23.

Ex quibus satis apartè convincitur Fidem sine operibus, tamquam mortuam nullatenus prodesse posse, nequè ad salutem consequendam sufficere.

Sed cùm crasè, materialiter, & indistinctè multoties Hæretici loca Sacræ Scripturæ intelligant, & in-

interpretentur, ex hac catholica veritate aliam hæresim effinxerunt, quàm ex hoc principio fluxisse, præcisè credunt, Fidemquè Christianam sine bonis operibus esse non posse, affirmantes; quàm hæresim aliqui moderni hæretici amplexati sunt, de quibus agunt Belarminus de iustificatione, tom. 3. lib. 1. cap. 15. Alphonsus de Castro adversus hæreses, verbo Fides, hæres. 3. Lorichius in fortalitio Fidei verbo Fides, eadem hæres. 3 & alij.

Contrariatur hic error expresis Sacræ Escrituræ locis, & authoritatibus. Primo; Divi Pauli testimonio, ita ad Corinthios scribentis: *Si habuero omnem Fidem, ita vt montes transferam: Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Secundò; Divi Iacobi: *Quid proderit, fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid potest Fides salvare illum?* Tertiò; Apostoli Matthæi de quinquè Virginibus fatuis loquentis quæ habuerunt Fidem, sed non opera Charitatis. Quartò; Lucæ de servo, qui cognoscere potest voluntatem Domini, quòd est Fidei, non autem necessario facit eam.

1. Corinth. 13. *Iacobi 2.* *Matthæi 25.* *Lucæ 12.*

Ex quibus satis apertè istorum Hæreticorum error convincitur volentium per hanc secundam hæresim, primam defensare, & à manifesta imperitia se excusare, sequè penitus iugulant, nam si Fides vera numquam est sine operibus bonis, etiam numquam sola iustificat, aut beatum facit. Si autem dicunt bona opera, non esse ad salutem necessaria, sibi contradicunt cùm ostendunt se non habere veram Fidem, quia non habent opera bona sibi iniuncta, credere debent Ecclesiæ, quæ à Spiritu Sancto educta, ita credit, & docet; & à Sacro Tridenti-

Seß.6.Can.28. no Concilio nuper invenitur confirmatum, ibi: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul, & Fidem semper amitti: aut Fidem quæ remanet, non esse veram Fidem, licèt non sit viva: aut eum, qui Fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.*

Revertamur ergo vndè regresi sumus, & impijssimo Brentio, suisquè Aseclis respondeamus; licèt antea mirari non desinamus, quantum cœcos illos sua ignorãtia, vel potiùs sua execrabilis vita seducit, vt ignorare fingant, vbi res est clara, & vbi dubia, & anceps, certam, & manifestam intrepide supponant, & affirment; bene in expositione loci Scripturæ Sacræ Lucæ primo, in quo Beata dicitur Virgo, quia credidit, versutia Brentij, & aliorum detegitur, dissimulans morem Scripturæ Sacræ, quæ dum vnum dicit, aliud non excludit; sicquè Fidem in aliquibus locis laudat; sed ita vt Pœnitentiæ, Charitati, Sacramentis, & alijs pietatis operibus vim suam, & laudem relinquat.

Ex quo satis manifesta, & concludens responsio adversus Brentium, & alios apparet, quia si solùm vrgent illa verba: *Iustus ex Fide vivit*, meminisse
Ezech.18. oporteret, etiam scriptum esse. *Iustus in iustitia*
Iacob.2. *sua, quàm operatus est viuet*: Et illud, *qui facit iustitiam iustus est, sicut, & ille iustus est, & Beatus facto suo erit*, id est, per opera sua; nã licèt dicatur, *beatus credens*, provenit ex hoc, quia Fides inchoat iustitiam, radixquè sit, & basis futuræ beatitudinis nostræ; sed ad iustificationem eam operibus exornari debet. Neq; Abraham tantum Fide, sed etiam operibus suæ iustitiæ incrementa accepit, & vi-

tam

tam æternam promeruit, testante eodem Beato Iacobo.

Et licèt sciamus, quòd ad primam iustitiam Virginis attinet, vt Abraham Patriarcham, sic ipsam quoquè sine meritis præcedentibus esse iustificatã, & in Dei Matrem gratis electam: sed quemadmodum idem Abraham iam Fide iustus, magis magisquè ex operibus Fidei est iustificatus, & ijs Fidem suam consummavit (vt Iacobus affirmat) ita de Maria quoquè iudicare par est, beata vt sit non solùm, quia cùm Fide Verbum Dei percepit, sed & quia Verbi Dei auditi fida custos, & perfecta operatrix fuit, vt Divus Augustinus pluries affirmat. *Lib. de Sancta Virgine, cap. 3. & 5.* Hæcquè Fides Virginis per charitatem assidue quum in terris militaret operabatur, vt sicut illa *Tabitha* ab Apostolo laudata, bonis operibus plena esset, ac in Fide virtutem omnem, sicut Petrus postulat, ministraret, ipsisquè operibus iustitiæ coronam, vt Paulus appellat, sibi auctiorem redderet, tanto quidem iustior atque Beatior, quanto charitate perfectior, in qua legis plenitudinem Paulus agnoscit, & plenam hominis iustitiam collocat Divus Augustinus. *Actor. 11. 2. Petr. 1. Roman. 13. Lib. de natura, & gratia, cap. 42.*

Et si Mariæ Fides cùm Magni Patriarchę Abrahæ conferatur Fide; illustriorem esse multis ex caussis inveniemus; nam licèt iste propter Fidem suam pater credentium sit ab Apostolo appellatus, quia vt scriptura ait, *contra spem in spem credidit*: nequè infirmatus in Fide sit; nequè alia impossibilia in Conceptione sacræ vxoris suæ obiecit, sed confirmatus in Fide credidit, vt à Deo promissa, omnia esse adimplenda. Non latet promissa omnia iuxta naturæ ordinem factibilia fore; & quòd per risum *Roman. 4. Genes. 15.*

in annuncio conceptionis uxoris suæ Saræ quasi incredulum dixisse. *Putes ne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* & alibi: *Vtinam Ismael viveret coram te.* Et in promissione possessionis Terræ Chanaam ausum fuisse, percontari: *Domine Deus unde possum hoc scire, quòd possessurus sum eam?* Et licèt Abrahæ Fides tantopere commendetur, æternamquè laudem ei in posteros peperit; quid non Mariæ Fides tanto præstantior, & memorabilior existimanda venit? Quanto illa simplicius, ac firmius in longe gravioribus divinis promissis acquievit? Vt acutè Divus Ambrosius annotavit, ibi: *Quid enim, tàm impar, quàm Spiritus Sanctus, & corpus? Quid tàm inauditum, quàm Virgo prægnans, contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius clarior cura est Virgini?*

Genes. 17. vers. 17.
Vers. 19.
Genes. 15. vers. 8.
Lib. 2. in Lucam, cap. 1.

Nonne vident Beatæ Virginis hostes non solùm æqualem, sed sublimiorem esse ipsius Fidem, Abrahæ Patriarchæ Fide? Hanc non solùm vivam, sed charitatis operibus plenam, & maximè ornatam, cui debita esset Angeli promissio, habuisse? Quiescant vlulare, cùm nesciant loqui, venerentur Mariam, si Fidei veritatem attingere volunt, qua duce, & Magistra in lucem veritatis, & agnitionem veræ Fidei facillime protrahentur.



CA-

CAPVT II.

FIDEM BEATÆ VIRGINIS ex Mariani nominis, & tymo deduci contra Ioannem Fugerum probatur.



Oannes Fugerus in Etimologico Trilingui sub vocabulo *Maria*: licet illud ad honorem, & gloriam Beatæ Virginis honorifice exponat; non iuxta venerabilis Bedæ, & Divi Bernardi sententiam (qui cripturę sacrę locum, *Orietur stella ex Iacob*, in ipsa Benedicta Virgine completum fuisse decernunt) explicat, & assentit, immo ab illorum intelligentia, & mente aliqua tenus deviare noscitur. *Quamquam* (ait Fugerus) *convenientius fortasse vaticinium illud de Christo intelligi possit qui solus gratiæ suæ radijs illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum Ioannis. 1.* *In etymologio Trilingui, verbo Maria.*

Hunc levem esse scrupulum non minimis fundat rationibus Andreas de Saussay, Episcopus Iullensis; primo; quia non singulari sanctorum testimonio hęc conclusio probatur, cum eam defensent, & sequantur Sanctus Eucherius Lugdunensis, Sanctus Isidorus, Venerabilis Beda, Sanctus Bernardus; & non dissentit ille Hebraicæ linguæ maximè peritus Divus Hieronymus, qui de nominibus hebraicis in exodum *Panoplia Sacerdotalis parte 2. lib. 4. cap. 8. art. 1. De altercatione Eccl. & sinagogæ. Lib. 7. & Etymol. in cap. 1. Lucæ Serm. super Missus est.*

dum scribens Mariæ nomen, *illuminatrix*, vel *illuminans*, significare dicit. Secundo; quia licet ad litteram locum hunc intelligi de ipso Christo non diffiteamur, per accomodationem à Sanctis illis Patribus, vim nominis Mariæ, & Sanctæ ipsius Virginis excellentiam gratiæ considerantibus, sine vllo gloriæ eius filij detrimento, eidem Virgini adaptatam, facile est advertere, ex discrimine insigni, quo istam applicant significationem. Aiunt enim Mariam, simul dici *illuminatam*, & *illuminatricem*, quod Christo non quadrat, ipse enim illuminat non illuminatur, *sed ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. At ideo Beata Virgo illuminat, quia illuminatur: ea propter, *stella*, dicitur, quæ lumen suum à sole mutuatur. Sol iste Christus est, filius eius, & Deus, ac Dominus noster.

de nomin. hebray.

Ioannis. 10.

Apparuit mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. Sol igitur gratiæ, & Iustitiæ, qui Christus est, Mariam illuminat: ipsa vero susceptum à Sole lumen (vt Luna in res inferiores) sic in nos ipsa refundit, quam obrem simul est *illuminata*, & *illuminatrix*; quia quidquid habet, & in nos derivat, à filio suo recipit. Et sic se habere Cælestis Hierarchiç statum; vt inferiores ordines Angelorum illustrentur à superioribus doctrina est Sancti Dionisij: Maria Sanctissima longe supereminet Angelis, & Sanctis omnibus in lumine gratiæ, & gloriæ; magisque his omnibus antecellit, quam Seraphim, & Cherubim, Angelos ipsos inferiores hoc in lumine superant. Ea propter, *exaltata super omnes Choros Angelorum*, ab Ecclesia prædicatur, Sanctorumque om-

Apocalyp. 12.

Ecclesia tenet.


omnium Regina, ac Magistra merito agnoscitur, & tenetur.

Fidei complementum Mariæ nomen importat, & quid divinum semper sapit, nec Maria dici debet, nec hoc illustrissimo, & nitidissimo nomine condecorari, quæ firmissimè non credit, vel in aliquo vacillat; non ex meo, sed ex divo Ambrosij testimonio, hoc affirmare audemus, probationi attendamus.

Cum Magdalenam invenisset dominus plorantem pro deffuncto, mulierem eam vocat. *Mulier*, inquit, *quid ploras*? Quæritur, cur non suo nomine vocatur? Cur Maria non dicitur? Nunquid, quia revivíscere eum quem deffunctum plangebat lacrymis suis non debere demostraret? nihil divinum in eo Cogitans? hoc certè verba illa Dominica indicant, arguuntque, & testantur exiguam eius fidem ac proinde non esse dignam vt Maria vocaretur, insinuant cum tanto nomini non corresponderet; at vbi in fide roborata profecit Christi Domini præsentia, tunc Maria vocatur; audiatur Sanctus Ambrosius. *Quando non credit, mulier est, quando converti incipit, Maria vocatur, hoc est, nomen eius accipit, quæ parturit Christum.*

Ioann. 20. vers. 15.

Lib. 3. de Virg.



CAPVT III.

BEATA VIRGO MARIA non potuit deficere in fide; quia erat illuminata, & in Sacris Scripturis maximè versata.



Ancti Patres inter quos Divus Thomas, & Sanctus Bonaventura ideo illuminatam Beatam Virginem esse dicunt, quia speciali privilegio, & gratia omni lumine perfusa creditur à Patre lûminum plenius, ac liberalius alia qualibet creatura quod ex sequentibus latius patebit. Primo; scientię lumine naturalis ita dotata invenitur, & naturalium omnium artium notitia ita prædita, vt maiorem omnium, & sapientiorem hominum superaret, Salomoneque doctior prædicetur; licet solum ea scientia vsa fuerit, quæ Dei Matris dignitati decuisset, & status sui ratio postulaset. Eò itaque Beatæ Virginis Mariæ Mysteriorum fidei cognitio ascēdit, tam suo labore, legendo scripturas sacras veteris testamenti, quam orando, & contemplando Dei mirabilia, adquisita, vt ab omnibus pro comperto habeatur ad talem cognitionem nullam aliam creaturam pervenisse, nec vlli alteri esse concessam, & merito hoc ita factum videtur, cum ipsa

sa-

sapientia Christus, ex eius visceribus carnem assumens, in mundum venit; quæ Divus Augustinus admirans, sic ait. *Recole* Maria *Propheticam lectionem neque enim te scientia potest divinorum præterire librorum, quæ ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum.* *Serm. de Nativit. Virg.*

Tunc etiam illustrata fuit lumine fidei vt quæque altissima fidei Mysteria, quæ non dum omnibus perfectè erant revelata, firmissimo assensu crederet, & nutātibus Apostolis, & Discipulis Domini tempore passionis Christi, illa sola interius, & exterius per fidei perfectissimos actus, & confessiones constanter crederet, & speraret, illosque summa charitate in fide instrueret, & in filij sui verbis, & doctrina solidaret, ex quo merito à Sanctis Patribus passim, *Mater credentium* appellatur, vt ex Augustino, & Bernardo observat Abulensis nosque infra latius exponemus. *Parte 1. cap. 31.*

Illuminata etiam prophetiæ spiritu dicitur, immo multorum opinione Prophetissa fuit facta, & pro hac parte primo loco adducitur illud Isaiæ. *Accesi ad Prophetissam, & in vtero concepit.* Vbi Divus Basilius exponens hæc verba, in hunc modum loquitur. *Quod Maria Prophetissa fuerit, ad quam proximè per spiritus prænotionem accesserit Esaias nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata spiritu, eloquuta est: Magnificat anima mea Dominum; ad cuius cantici verba si parum animum accommodaveris, non vtique per disidium negabis Virginem veram prophetissam fuisse.* *Esaiæ. 8.* *lib. 1. de Trinitate cap. 34.*

Eodem sensu abundat Rupertus Abbas circa ea-

dem

dem Esaiæ verba, *hæc prophetissa* (inquit Rupertus) *ad quam Propheta iustus accedit, Sāctā est Maria cuius in vtero omnium Prophetarum Sanctorum completa est prophetia; neque enim hæc Beata Virgo particularem vt singuli Prophetæ verbigratiam, sed vniversam Spiritu Sancto superveniente suscepit ex eo verbo Dei substantiam, & Prophetissa singulis facta est plenam Spiritus Sancti gratiam suscipiens.* Et idem Rupertus non contentus illam Prophetissam vocasse Archiprophetissam fuisse docet. Dum ait *Prophetissam esse Prophetarum quia, & Prophetas docuit, & de ipsa omnes Prophetæ Prophetarunt.*

Super Esaiam cap. 6. Et Divus Hieronymus super Esaiam, licet aliam illius loci expositionem sequatur, ad propositum ita loquitur. *Quidam Prophetissam, Sanctam Mariam interpretantur quam Prophetissam, fuisse, non dubium: est ipsa enim loquitur in Evangelio: Ecce enim à modo Beatam me dicent omnes generationes.*

3. parte q. 16. Vnde Divus Thomas *non esse ambigendum docet, quin Virgo Beata donum sapientiæ, gratiamque virtutum, nec non gratiam Prophetiæ acceperit excellenter.*

Lucæ. 21. Hoc quidem ex alijs scripturæ sacræ locis satis aperte evincitur: Primo; ex virginali cantico in domo Zachariæ in salutatione Elisabet in illis verbis. *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*: Quod futurum Beata Virgo, hoc Prophetiæ lumine, novit & annunciavit.

Et etiam apud eundem Lucam in Angelico an-

nun-

nuntio propositis rebus quæ eventuræ erant, solum de modo concipiendi quærit Beata Virgo, cum dicit. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* & cum alia plura mysteria in illa salutatione proponantur, præcipuè Sanctissimæ Trinitatis, de illis non quærit, non alia ratione, nisi quia iam revelatum illi fuerat, & vt Prophetissa magna non ignorabat, tam per revelationem, quam per sacrarum scripturarum continuam lectionem, cui semper erat dedita, cum hac sententia non minima Sanctorum manus cōcordat, & præcipuè hoc idem sentiunt Epiphanius, Cyrillus, Nazianzenus, Nisenus, Ambrosius, Augustinus, & Sanctus Thomas.

Lucæ. 1.

Hæres. 78. *lib.* 5. *Orat.* 42. *secunda in Paschate. lib. de testimon. ex vter. testam. contra Iudeos. cap. de Navitate Christi ex virg. in cap.* 1. *Lucæ. lib.* 17. *de Ciu. Dei. cap. vltimo.*

Et si Præcursor Ioannes Baptista maior Prophetarum prædicatur, quia prophetavit Christum Dominum advenisse, & in Mundo esse; maiori cum ratione Beata Virgo Maria Prophetissa nuncupari potest, & debet, quia prophetavit de filio suo, iam in Virginali suo vtero concepto, in domo Zachariæ; & postea nato, & in Cœlum sublato annuntians, & prædicens his, & illis mirabilia, quæ in Ecclesiæ Sanctæ beneficium operaturus erat.

3. part. q. 27. *&* 5. *ad.* 3. *Super Missus est cap.* 158.

Et negari non debet, nec potest; Beatam Deigenitricem Virginem Mariam Prophetiæ spiritum habuisse, & futura prædixisse, quia si (vt rectè argumentatur Albertus Magnus) *Prophetia, est divina inspiratio, vbi improportionabiliter est Spiritus Sancti præsentia, & gratia, & inhabitatio, vt in Beata Virgine, ibi etiam improportionabiliter inspiratio, & Prophetia; hæc autem fuit in Beata Virgine iuxta illud Lucæ.* 1. *Spiritus Sanctus super veniet in te, ergo ipsa in summo habuit spiritum Prophetæ.*

Quan-

Quã excellenter hãc gratiã Virgo Mater habuerit, per effectũ monstravit, quando conscia secretorum, & præscia futurorum ministris nuptiarum dixit: *Quodcumque vobis dixerit facite*, vt dicitur

Ioann. 2. Ioannis. 2. prævidens in Spiritu prophesiæ, quod filius eius voluisset in vinum aquam convertere.

Fuit simul Beata Virgo illustrata, & nobilitata luminæ scientiæ super naturalis, & infusæ altiori gradu quam Adamus primus parens, & Evangelista Ioannes cui Dominus pectoris sui secretiora pandit, cum in cœna supra pectus ipsius recubit: excelluit Apostolo Paulo qui in tertium cœlum raptus vidit arcana quæ non licet homini loqui: Excelluit Angelis, qui multas mysteriorum circunstantias eis revelatorum in sua beatifica visione, postea in terris ab hac Domina didicerunt sicut infertur, & colligitur ab ipsomet Apostolo Paulo.

Comprobemus testimonijs, & rationibus hanc veritatem. Communi consensu (vt præcisum consequens) docent Sancti Patres, Beatam Virginem nõ solum fidei, sed Theologicæ sapientię lumine divinitus ei infuso, quo distinctius fidei arcana cognoscuntur, valde illustratam fuisse: iuxtaquæ ita Divus Anselmus in homilia super Evangelium Lucæ in

Hom. 10. supra Lucam cap. 10. illis verbis *Intravit Iesus in quoddam Castellum, sic ait Christus vt dicit Apostolus, est Dei virtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, & Christus est in Maria; ergo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt in Maria.*

Serm. 4. art. 1. cap. 4. Eodem modo ratiocinatur Sanctus Bernardinus, qui ita ait. *Quantum ad rationem, & intellectum,*

tan-

tanta ei sapientiæ claritas à Deo super infusa est quòd perfectè super intelligebat creaturas, & creatorem, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda.

Vndè Albertus Magnus; Beatam Virginem simul cum habitu Fidei habuisse actum, quo perfectius, quàm Adam in sopore, & quàm Ioannes, super pectus Domini; & quàm Paulus in raptu cognoverit Mysteria super naturalia, firmissimè tenet; idemquè sentiunt Anselmus, Bernardus, & Bonaventura. *Lib. de Virg. cap. 96.* *Lib. de excell. Virg. cap. 7.* *Hom. 4. in Missus est.* *De laudibus Virg. cap. 8.*

Et non solum rerum supernaturalium, sed, & naturalium in quibus non quo sanctiores, eo peritiores esse solent sancti limpidissimam habuit cognitionem Beata Virgo Maria, vt testantur sancti. Hocquè ex eo satis verisimile redditur; nam rerum naturalium, & moralium cognitio iuvat valdè ad perfectam sacrarum scripturarum intelligentiam, ad perfectionem Theologicæ doctrinæ, ad reseranda, & suadenda obstrusa Fidei arcana, & ad consummatam in rebus agendis prudentiam: cùm ergo ex his omnibus excellens fuerit Beata Virgo, consequens est, perfectissimam in rerum naturalium cognitionem ei non defuisse.

Quid amplius? iuxta Divi Atanasij sententiam, non solum vidit Beata Virgo clarè, & distinctè Angelum Filij sui Incarnationem annuntiantem externa, & corporali effigie, sed etiam propria sua substantia, & natura. *Decuit* (Athanasius ait) *Beatam Virginem perfectius videre Angelum, quàm antiquos Prophetas cùm illis apparebant; & si antiquis Patribus concessum fuit (iuxta sententiam* *Lib. qq. ad Antioch. q. 12.*

 mul-

multorum sanctorum) in hac vita mortali dum viverent divinam essentiam vice aliqua videre, vt legitur de Moyse, & Divo Paulo, quanta maiori ratione, & probabilitate dicendum venit Virginem Mariam dum viveret multis, & repetitis vicibus vidisse Divinam essentiam, & Sanctissimam Trinitatem.

Lib. 3. in Cant. Vndè Rupertus Abbas super illa canticorum verba *Oculi tui columbarum* ait: *Virginem raptam esse in tertium Cœlum, & vidisse Arcana Mysteria, quæ non licèt homini loqui perfectius, excellentius quàm Paulum.*

2. Corinth. 12. Et ipsè Paulus de se ipso fatetur, raptum esse vsque ad tertium Cœlum, id est vsque ad finem vltimi Cœli, qui nominatur christalinus, post tres, qui sunt Syderum, & ita intelligi debent verba illa, *vsque ad*; quasi diceret, fuisse raptum ad Impyreum Cœlum, vt ille postea paucis intermissis, declarat ibi: *Quoniam raptus est in Paradisum, & audivit Arcana verba, quæ non licèt homini loqui.* Ex quibus satis constat fuisse raptum in Paradisum, & gloriæ Cœlum, qui Impyreus dicitur: sicquè quòd dicit Rupertus Virginem Beatam raptam esse in tertium Cœlum, idem est, ac dicere, Mariam Virginem raptam fuisse ad vltimum christalinum Cœlum, & hunc ascendisse, & ad Paradisum, & Impyreum, & gloriæ Cœlum pervenisse; nam dictio, *in*, æquivalet dictioni *post*; vt Ximenius Arias in suo vocabulario autumat; sicquè Virgo Maria rapta fuit, in, vel, post, tertium Cœlum, & christalinum, id est, in gloriam, & ibi vidit Arcana Mysteria perfectius, ac excellentius, ac Divus Paulus.

Pre-

Præter hanc claram, & intuitivam scientiam, habuit Beata Virgo in hac vita multas notabiles, & insignes revelationes, & illustrationes. Ante Incarnationem Domini, dum erat in Templo frequentissime fruebatur divinis illustrationibus, & Angelicis visitationibus, vt asseverant communiter sancti, præcipuè Ambrosius, & Hieronymus. In Incarnatione, & Conceptione Filij Dei habuit illam admirabilem, & excelsam revelationem Angeli Gabrielis suæ prædestinationis, & exaltationis super choros omnium Angelorum; vt Anselmus planè testatur, ibi: *Accepisse Virginem ex hora, qua Filium concepit, suæ prædestinationis, & super omnes choros Angelorũ exaltationis, certã atq; indubitatã revelationẽ.* Cui adhæret Damascenus. *Post Incarnationẽ* (inquit) *inter alias revelationes, & illustrationes, Christus post resurrectionẽ suam, inter alios Virgini Matri suæ gloriosus apparvit, & manifestavit suã gloriã, & post ad Cœlos ascensionem frequentissime illam visebat, & instruebat.* Et post Rupertũ docet Laurentius Iustinianus, ibi: *Neque Angelica, tantũ, verũ etiam filij iugiter visione ac colloquio exultavit: illi enim Cœlestis visio debebatur, cui incomparabilis gratiæ inerat plenitudo.*

Lib. de excellencia Virgine

Oratio. 1. de Dormit. Virg.

Sermone 4. de Assumptione.

In annuntiatione Angelica mens Virginis Mariç fuit elevata per virtutem, & revelationem divinam ad cognoscendum perfectissime mysterium Incarnationis; & humanitatis Christi, quantum possibile erat per fidem cognoscere, & vero post plenam fidem adhibitam, & post præstitum consensum, piè credendum est, Virginem Mariam hoc mysterium clare intellexisse, & Deum sicuti est in suo superna


turali esse, vnitum humanitati cognovisse, ita Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, paucis in verbis, docet: *forte in ipso* (inquit) *conceptu vel partu illi datum est, ad horam, vt videret mysterium huiusmodi, vt in patria, sicut Paulus vidit Deum in raptu.*

In summa. 4. p. tt. 15. cap. 17. § 1. in medio.

Ex his præclare novimus, quantis sit illustrata donis Beata Virgo, vt illuminatam, iuste confiteri debeamus, sed nunc illuminatricem simul esse (Deo auspice) manifestius probabimus, in sequenti capite.

CAPVT IIII.

FIDES BEATÆ VIRGINIS ita constans semper fuit, vt propter eius præstantiam illuminatricis munus adepta sit.


Anc vocem *illuminatricem*, quam persæpe Sancti Patres Beatam Virginem vocitant, deductam ab illa hæbraica voce, *Maor*, quæ est eadem ac *illuminatrix*; & aliqui propius in radice hæbraicæ linguæ hanc vocem interpretantes, & intelligentes, addunt simul significare, *lumen Dei*; ita quod Domina nostra vocari posit, *lumen Dei*; dignaque verè hoc nomine invenitur Maria Virgo in

qua

quia quid quid boni, maxime in illa præfulsit, sed ita summa charitate ordinatum, vt non prius sibi, sed alijs hanc luminum claritatem, & affluentiam communicaret; præcipuè filijs Ecclesiæ.

Hæc est illa mulier amicta sole ab Evangelista Ioanne in Apocalypsi celebrata, quæ si in terra, intus in visceribus suis, inclusum habuit solem, qui erat Christus; postea illa exterius vestita illo posset radios huius solis, Ecclesiæ participare; quod ita evènit; quia fuit, est, & erit hæc amantissima Domina semper illuminatrix omnium fidelium. *Apoc. 12.*

Tripliciter hanc exercuisse virtutem Sancti Patres exponunt. Primo; *verbo*; sicut legitur fecisse cum Ioanne Baptista, & eius patribus, cum Apostolis, & Evangelistis sacris eos docendo, & in doctrina a filio suo recepta, instruendo. Secundo; *exemplo*; quo ita mirifice se exemplar omnium virtutum præstitit, vt in admiratione omnibus esset. Tertio; *Auxilio, & protectione*; vt latè experti sunt illi primi christiani, quando dum viveret Beata Virgo, Hierusalem viam carpebant ad visendum illam, vt aspectus sui gratia, & cordis benignitate, & lenitate laborum suorum requiem, & animæ suæ iuvamen assequi possent. Post dormitionem suam, & ad Cœlos assumptionem non hæc pia mater misericordiæ suæ oblita est officium immò eminentius exercet advocatæ, & protectricis nostræ locum, & munus obtinens.

Hæc tria beneficia non abs re erit recensere, vt ante oculos posita, gratitudinis nostræ aliqua tantæ matri rependamus obsequia, & illuminatricis officium in beneficium nostrum persolutum agnoscamus.

Et ad primum deveniendo sit pro hac parte illustre exemplum, quod ipso in Evangelio Lucæ 1. legimus, *Intravit Maria in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et factum est vt salutationem Mariæ audivit Elisabeth, exultavit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, & exclamavit voce magna, & dixit, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultavit in gaudio infans in vtero meo*; Ex hoc scripturæ sacræ loco eliciunt Sancti Patres, salutatione Sanctissimæ Virginis Ioannem adhuc clausum in vtero matris suæ, dedicatum fuisse Prophetam; tantumque voce Mariæ illuminatum extitisse. *Per vocem Virginis* (ait Chrisologus) *facta est sanctificatio præcursoris*. & Sanctus Cyrillus: *Salutatio Sanctæ Virginis Mariæ Iesum ferentis in vtero Ioannem movit ad prædicandum. Personuisse autem (ait Divus Chrisostomus) in auribus Elisabeth afflatu Spiritus Sancti Mariæ vocem, vt Ioannes in Prophetam vngeretur*. Vnde memoria dignum redditur dictum Divi Ambrosij. *Qui Ioannem loquitur, Christum prophetat*. Qui igitur Mariæ vocem audit, Christi Spiritu repletur, qui opem Mariæ supplex petit, Christum invocat adiutorem, & vnum ab altero separari non posse acutè Origines arbitratur; ex quo Angelus ipsi dixit Virgini Dei paræ *Ave gratia plena Dominus tecum*; hinc rectè infert, *si in puncto temporis repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, & exultavit instans in vtero eius quis nam dicere audeat per tres menses nec Ioannem,*

Serm. de Sancto Ioanne Baptista

Lib. de recta fide ad Reginas.

Hom. de Divo Ioanne Baptis.

In Lucam 1.

Hom. 7. in Ioannem.

nem, nec Elisabeth ex vicinia Matris Domini, & ipsius Salvatoris præsentia profecisse? medullitus hæc consideravit Venerabilis Beda cum dixit quod *quando Beata Virgo Elisabeth salutavit, Spiritus Sanctus ipsi Elisabeth scientiam præsentium, præteritorum, & futurorum dedit, Præsentium* quidem quia ipsam Dei Matrem esse cognovit, & fructum ventris sui esse benedictum prædicavit. *Præteritorum* autem quia consensum Mariæ credentis intellexit. *Futurorum* vero quia à Domino perficienda quæ illi dicta fuerant annuntiavit; deinde subdit Beda: *Quis ergò dicere vel æstimare sufficiat quod tunc gratia Spiritus Sancti Dei genitricem repleverit cum tanta in matre præcursoris lux Cælestis emicuerit, est etiam media, id est mediatrix inter Deum, & nos effecta: de quo medio inquit psalmista suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, id est, in utero virginali. Et iterum psalmista, Deus autem rex noster ante sæculas operatus est salutem in medio terræ, id est, in Maria, Virgine.* Psalm. 47. vers. 10. Psalm. 73. vers. 12.

Accedamus nunc ad vocem Mariæ Apostolos, & Evangelistas edocentis, quia licet iuxta sententiam Ruperti inter alia præclara quæ de Beata Virgine profert, illud præcipuum sit. *Quod habuit tempus loquendi, & tempus tacendi; tacuit quandiu Christus in hoc mundo vixit; cum in corde suo omnia verba divina conservabat, & conferebat locuta est post Christi ascensionem cum in multis subobscuris arcanis mentes eorum illuminavit*, nunc sumus, & versamur in casu, & expectat insignis sententia Anselmi hoc idem apertissimè demonstrantis. *Licet* Lib. de gloria filij hominis. Luca 2.

ipsi

Lib. de Excell. Virginis ca. 7. *ipsi Apostoli* (inquit Anselmus) *per revelationem Spiritus Sancti edocti fuerint in omnem doctrinam incomparabiliter: tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc eis multa revelabantur, quæ non solum in se simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat.*

Lib. de inst. Virginis ca. 7. De Sancto Ioanne Apostolo, & Evangelista Divus Ambrosius prudentissime arbitratur, Ioannem ipsius sanctissimę Virginis custodem perpetuum, plura sublimiora de Christi divinitate mysteria didicisse, & hinc Evangelium suum altius ad modum exorsum intonuisse, *In principio erat verbum.* Ioan. 9. *Mirum non est* (inquit Ambrosius) *præcæteris Ioannem locutum fuisse divina mysteria, cui præsto erat aula cælestium Sacramentorum.*

Lib. Contemp. de Virg. Maria cap. 3. Lucam Evangelistam Evangelium à Maria Virgine didicisse autor est Idiota; & ita receptum affirmat *O Beatissima Virgo Maria* (inquit Idiota) *species tua consistit in humilitate, pulchritudine Sanctorum cogitatuũ, & doctrinæ veritate, quæ in collo intelligitur, quia doctrix fuisti doctorum, & Magistra Apostolorum: unde, & Beatus Lucas, cui inter cæteros Evangelistas descriptio Dominicæ incarnationis attribuitur Evangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur.*

Comvenit hæc, & aliorum scriptorum intelligentia, testimonio ab ipso Luca initio Evangelij sui relato vbi ipse de se dicit, *se accepisse quæ scribit ab his, qui viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* At sane Apostoli ab ipso exordio, res Christi non viderunt. Quæ igitur enarrat ipse Lucas de Sancti Ioan-

Ioannis Conceptione, & Nativitate, de Gabrielis, Annuntiatione, de Christi Incarnatione, de Elisabeth, Visitatione, & mysterijs nunc per actis de cantico illo, *Manificat*, à Virgine pronuntiato, de eiusdem partu, Christi Nativitate, & Circumcissione, Nominis Iesu impositione, ipsius Domini in templo præsentatione, de fuga in Egyptum, reditu in Iudæam, descensu in Nazareth, & alijs quæ vsque ad Baptismum Ioannis scripsit, non ab Apostolis accepit, quia ab initio non viderunt, sed ab ipsa Virgine benedicta didicit, quæ sola ab ipso principio hæc omnia conspexit; inter quæ non nulla cogitavit, dixit, fecit: *Verbi enim divini Incarnandi* (scite ait Beda) *ministra facta est temporalis, sed eiusdem semper amandi, & exaltandi custos manebat æterna.* Quæ igitur sibi soli erant cognita mysteria, haud dubium quin Apostolis, & Evangelistis res Christi ab initio describere optantibus: pro eius gloria, & Ecclesiæ instructione revelavit. *Ab ipsa* (ait Eusebius Emisseus) *hæc Apostoli audierunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandaverunt.* Ea propter *Multi oculam, Virginem vocat* Sanctus Epiphanius. *Secreti Cœlestis consciam*, Divus Ambrosius. *Magistram Nostræ Religionis*, Ignatius Martyr.

Lib. 4. cap. 49. in Lucam.

Oratio. de eius laudibus.

Serm. de laudibus Virg.

Epistol. 1. in Ioan.

Iuxta prædicta ad probandum Evangelistam Lucam ex ore Beatæ Virginis desumpsisse quæ scripsit de infantia Salvatoris, duplici ex capite id colligi facile crederemus, nam si Lucas est vnus ex septuaginta duobus discipulis, vt testantur Epiphanius, Metaphrastes, & Nicephorus, vel est ille, alterè duobus discipulis euntibus Emaus, vt tenent ex aliorum sententia Theophilactus, & supra relati Metaphrastes,

Hæresi. 20.

In vita Beati Lucæ.

Lib. de Histor cap. 43. & 45.

stes, & Nicephorus, non est dubitandum, quin ea quæ scripsit, ab ipsa Beata Virgine acceperit, sicut, & cæteros Apostolos ab ipsa edoctos fuisse mysteria infra probabimus maximè cum, & Lucam vidisse Beatam Virginem concedat Nicephorus nec non, vt pictorem effigies Salvatoris, & Beatissimæ Virginis pinxisse, vt Baronius & Thomas Massutius affirmant ex quibus vna quæ hodiæ Romæ, & in Templo primario in Exquilino monte, prodigiosa nive designato, & Sanctæ Mariæ Maioris dicto, summa colitur pietate, ac celebratione, & quam Sanctus Gregorius Magnus in illa solemni contra pestem supplicatione deferri iussit, & quam Paulus Quintus Pontifex Maximus Deiparæ obsequentissimus multis monilibus, gemmis, & lapidibus præciosis exornavit, & in novo à se extructo sacello splendidissimo super aram maximam collocavit; Vt Bononius in suo Deiparæ chronicon, & alij indubiè referunt.

Lib. 15. Histor. Eccles. cap. 14.
Annalium anno Christi. 33.
In Epistola limi nari in vita Sancti Pauli.
Anno Christi 33. sæculo 1.

Nunc descendamus ad instructionem aliorum Apostolorum, simulque Patrum testimonijs illam comprobemus, & præsto adest Magni Ruperti authoritas qui scribens in cantica, hæc de virgineo documento circa Sacros Apostolos refert: *Horum discernendorum vtique Magistram te esse oportebat, ò Beata Maria, & Magistra Magistrorum, id est Apostolorum iuxta illud fons Hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de libano. An quia Spiritus Sanctus illos docuit, id circo tuæ vocis magisterio non illis opus fuit? immo vox tua vox illius fuit Spiritus Sancti: quicquid supplementi opus erat eisdem mortalibus, vel testimonij ad*

Lib. 1. in Canti.

con-

confirmandos, singulorum sensus, quos acceperant ab eodem spiritu, dividente singulis, pro vt vult ex religioso ore tuo perceperunt, instructo ad loquendum, bene composito ad tacendum pro vt tempus erat oportunum.

Sed non minus Sanctus Bernardus ita Deiparam à Christo filio sentit, in sacris fuisse edoctam, *vt rerum Evangelicarum tempus, & ordinem tenens, ipsa post modum scriptoribus, & prædicatoribus Evangelij veritatem reseraret, quæ scilicet plenè de omnibus à principio fuisset instructa mysterijs.* *Hom. super Missus est.*

Alludit Lucij Flavij Dextri dictum in chronicon rerum Hispaniæ; vbi: *Sacra Virgo consilio, luce doctrinæ, & mirabili vitæ exemplo præsidet Collegio Apostolico; nihilque grave gerunt illi, quod non eius consilio, ductuque gerant. Et adnotare licet quod Dexter non dicit absolute præsidis officio functam in Collegio Apostolico Beatam Virginem,* sed consilio, luce doctrinæ, & mirabili vitæ exemplo præfuisse, vt rectè advertit Pater Franciscus Vivarius eius enucleator, nam hoc officium virorum est, & Petro Christi Vicario debebatur, non mulieri; sed præsedisse in illa sacra Congregatione *consilio* in rebus dubijs *luce doctrinæ* in fidei Mysterijs, plurima eius arcana reserando, quæ sola ipsa experta fuerat, *& mirabili vitæ exemplo*; maximeque rationi consonum est credere, *nihil illos grave gessisse, quod non eius consilio ductuque gesserint.* Præsertim cum certum sit illam sacris semper Congregationibus interfuisse; nam de prima omnium in qua Matthias in Apostolum electus est id expresse habemus Actor 1. vbi loquens Lucas de Apostolis ait: *Hi omnes* *Chronic. anno Christi 34.* *Vivarius in comm. ad fl. Lucium Dextrum comm. 7. n. 7.* *Act. 1.*

erant perseverantes unanimiter in oratione cum Mulieribus, & Maria Matre Iesu. De adventu enim Spiritus Sancti constat ex illis verbis actor. 2. *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.* vbi particula *omnes* signat eos de quibus dixerat, *Omnes erant perseverantes & cum Maria Matre Iesu.* De reliquis autem congregationibus deducitur, ex illis, *Omnes qui credebant erant pariter*, actor. 2. & ex sequentibus act. 5. *erant vnanimiter omnes; ceterorum, autem nemo audebat se coniungere illis.* Quod si nullus fidelium tunc deerat, qui fieri posset vt ipsa Mater Domini absens esset? accedit quod præcipua causa prælationis vitæ Beatæ Virgrnis post mortem filij fuit, vt collegium Apostolicum sua præsētia foveret, & promoveret Ecclesiæ nascentis initia.

Act. 2. *Act. 2.* *Act. 5.*

Venerabilis Pater Petrus Canisius Societatis Iesu Virgini Deiparæ tribuit infalibilem veritatem in omnibus quæ loquebatur, sicuti Doctores eandem tribunt canonicis scriptoribus, & Ecclesiæ ab Spiritu Sancto edoctæ in dogmatibus quæ nobis credenda proponunt *Quemadmodum* (inquit Canisius) *in rebus creditu necessarijs non erravit Maria, & quoniam eadem in gratia spiritus fuit confirmata, nec potuit quidem errare: sic nec Deus Ecclesiam, cuius ipsa typum gerebat, in neccessarijs errare sinit, præsertim cum divinus ille spiritus, vt ante Mariā, sic nunc etiam Ecclesiam doceat omnem veritatem.* Vnde mirum non est quod Apostoli Magisterium Mariæ adirent quæ tamquam regens Spiritus Sancti, cathredam ab illa erudiri desiderarent, & in omniscientia, & intelligentia secretorum divinorum,

Lib. 4. de Deipara cap. 19.

&

& Christi Domini præceptis confirmari.

Beatæ Birgitæ hoc idem demonstratum est in illo sermone Angelico de excellentia Beatæ Mariæ Virginis, quem ipse Angelus dictavit illi præcepto Dei, & ipsa ex eodem præcepto devotè conscripsit. *Ascendente vero* (inquit Angelus) *suo benedicto filio ad suum Regnum gloriosum, Virgo Maria, in hoc mundo ad bonorum confirmationem, & errantium correctionem remanere permissa est. Erat enim Magistra Apostolorum, confortatrix Martyrum doctrix confessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatrix viduarum, in coniungio viventium saluberrima monitrix; atque omnium in Fide Catholica perfectissima roboratrix. Apostolis namque ad se venietibus omnia quæ de suo filio perfectè nō noverant, revelabat, & rationabiliter declarabat, Martyres quoque, ad tribulationes gaudenter pro Christi nomine sufferendas animabat, qui pro ipsorum, & omnium, quam pluribus tribulationibus seipsum sponte exposuerat; asserens cor ipsam ante filij sui mortem, 33. annis tribulationem cordis indisinenter in omni pacientia pertulisse. Confessores deinde dogmata salutis edocebat, qui ex eius doctrina, & exemplo perfectissime didicerunt diurna, & nocturna tempora prudenter ad Dei laudem, & gloriam ordinare, somnumque, ac cibum, & labores corporis spiritualiter, & rationabiliter temperare.* *Revelat. Sanctæ Birgittæ. Serm. Angelicus cap. 19.*

Et in oratione prima à Deo revelata eidem Beatæ Birgittæ in qua devotè, & pulchrè laudatur gloriossa Virgo Maria, de Santa Conceptione, & infancia sua, & de omnibus virtuosis actibus, & laboribus, & magnis doloribus totius vitæ suæ, & de Sāctissima *Oratio 1. revelatio Beatæ Birgittæ.*

morte,

morte, & Assumptione sua, hæc circa documenta à Beata Virgine Apostolis præstita, quantumque eis sua præsentia profuisset, memoratur. *Lætare insuper* (inquit Beata Birgitta) *Domina mea Virgo Maria, & de tua lætitia totus mundus lætetur, quia post ascensionem tuam ad amicorum tuorum consolationem, & fidei roborationem indigentium auxilium, & Apostolorum sanum Consilium, in hoc mundo filius tuus multis annis te permanere permissit; Et tunc per tua verba prudentissima, gestus honestissimos, & opera virtuosa inumerabiles Iudęos, & Infideles Paganos ad Catholicam Fidem convertit. Et te confiteri Virginem Matrem, ipsumque tuum filium, & Deum cum vera humanitate illuminando eos mirabiliter illustravit.*

Exemplo, quantum Beata Virgo omnibus prodesset, nec scripto, nec dicto comprehendi sat erit, pro maiori solum ex narratione eius sanctissimæ vitæ aliqua proponere curabimus, vt ante oculos nostros posita quod sequi possimus videamus, & quod illa ferventer exercuit, vt vires suppetant, amplecti curemus. *Talis fuit Maria* (inquit Divus Ambrosius) *vt eius vnius vita, omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus: vt quæcumque sibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in vna Virgine species virtutum emicant; secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium; Virgo intra domum, comes ad ministerium, Mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: hæc torum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruavit pudore. Quid ego exequar ci-*

Lib. de Virgini.

bo-

berum parsimoniam, officiorum redundantiam: alterum vltra naturam superfuisse, alterum pœnè ipsi naturæ defuisse? illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunio dies, & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arcerèt, non delicias ministraret. Dormire non potius cupiditas, quam necessitas fuit: & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat. In re tam clara, testimonijs non indigemus, quid boni dicere possumus quod non excellentius in Beata Virgine completum videamus? Liceat vti verbis quæ iuxta Divi Pauli stilum in conscribēdis Epistolis suis æmulatus est Pater Melchior Inchoferius Austriacus è Societate Iesu in Paræanesi ad Messanenses, vitam, & laudes Beatæ Virginis scribens: *Maria* (inquit) *semper digne ambulabat, Deo per omnia placens, in omni opere bono fructificans, & in medio generationis humanæ lucens, sicut luminare in mundo, providens bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, semper conversationem in Cœlis habens, quæcumque vera quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque bonæ famæ, si qua laus, si qua virtus disciplinæ, hoc cogitabat, perfecta, & plena in omni voluntate Dei, vitam habens iure absconditam cum Christo filio suo in* Deo, *vnde, & ingemiscebat in hoc tabernaculo, supervestiri cupiens, vt absorberetur quod mortale esset, à vita quam habebat in Christo, & desiderium habens dissolvi, & esse cum eo multò magis, & melius: permanere autem*

Epistola ad Messanenses, veritas vendicata post Epilogum operis.

in carne ad tempus necessarium fuit propter multos ad profectum nostrum, & gaudium fidei. Interim autem Christus habitabat per fidem in corde eius, in caritate radicatæ, & fūdatæ, contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus, secundum suam voluntatem, ita vt nihil de esset illi in vlla gratia, expectanti revelationem Iesu Christi filij sui, qui, & confirmavit eam vsque ad finem vitæ sine crimine, quod non haberet necessitatem quotidie pro delictis suis orare, sed pro populi, nullam habens conscientiam peccati, sed servans mandatum sine macula, quæ sub lege peccati non fuit, primo misericordiam consecuta. Itaque Spiritu Dei semper vivebat, spiritu ambulabat, in omni virtute confirmata secundum potentiam claritatis eius, semper gratias agens, in gratia quæ data fuit illi in Christo Iesu, nec solum supplebat ea quæ deerant sanctis, sed etiam abundabat per multas gratiarum actiones in Domino, glorificans Deum, propter eminentem gratiam in se ipsa, & super inennarrabili dono eius abundans in illo in gratiarum actione; neque solum sed per omnem orationem, & obsecrationem orans omni tempore, sine intermissione in spiritu, & ipso vigilans in omni instantia pro omnibus sanctis: orabat autem spiritu orabat & mente, orabat in omni loco levans puras manus in conscientia pura, sine intermissione memoriam habens humani generis in orationibus suis nocte, ac die, desiderans salvari omnes, memor lachrymarum piarum, & petitiones eius innotescebant apud Deum pro reverentia sua, Verbum Christi habitabat in illa abundanter in omni sapientia, nec

in

in Sermone tantum, sed in virtute, & Spiritu Sancto, & plenitudine multa, ita vt nunquam esset verbosa, & curiosa, loquens quæ non oportet, nec intenderet fabulis, quæ ædificationem Dei non præstant quæ est in fide, sed in veritate formam habebat sanorum verborum, quæ à filio didicerat, nihil loquens in alteram partem inclinando, sicut quæ cogitabat, non secundum carnem cogitabat, vt estet apud eam est, & non, Dei enim filius Iesus Christus qui in ipsa loquebatur, non fuit in illo est, & non, sed est, in illo fuit. Sic igitur Maria in omnibus se ipsam præbens exemplum fidelium in verbo, in gravitate verbum sanum, & irreprehensibile proferebat semper, vt is qui ex adverso erat, vereretur nihil habens malum dicere de illa. Non solum autem se ipsam exemplum præbebat in verbo, sed in omni opere bono, in omnibus se exhibens sicut Dei Matrem, in multa patiencia, in tribulationibus, in castitate, & scientia, in longanimitate in charitate non ficta, omnem ostendens mansuetudinem ad omnes homines, cum omni humilitate, & patiencia, supportans omnes in charitate cum omni sollicitudine, seruans vnitatem spiritus in vinculo pacis, seipsam dans formam ad imitandum in omni virtute, vt sectarentur Iustitiam fidem, charitatem, sicut ipsa sectabatur, & æmulabatur spiritalia, magis vt humilis esset; nec quasi in Religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, sed mansueta erat ad omnes, & præocupatos in delicto, ipsaquè spiritalis erat, instruebat in spiritu lenitatis, abundantius habens illos in charitate propter bonum illorum, & omnes in sua viscera suscipiens ita vt omnes gaudium magnum haberent,

& consolationem, in charitate eius & viscera sanctorum requiescerent per illam; si qua enim consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua Societas spiritus, si qua viscera miserationis, in Maria, quæ implet gaudium omnium, vere induta sicut electa Dei, Sancta, & dilecta, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, consolans pusillanimes, suscipiens infirmos, patiens ad omnes cognoscens quæ circa miseros peccatores, & consolans corda eorum, facta sicut paruula in medio afflictorum, tamquam si nutrix foveret filios suos, ita desiderans omnes, & cupidè volens tradere non solum auxilium, & gratiam, sed & animam suam quoniam carissimi illi facti sunt redempti in Christo Iesu.

Quid plura? esset in infinitum narrare, & difficilius amplecti, illa scit quæ habet, nullus alius præter illum, qui hæc beneficia contulit, comprendere valet, sed pro maiori testimonio audiamus paucis in verbis quod Angelus Beatæ Birgittæ de tantæ Matris exemplo revelavit. *Ex eius quippe honestissimis moribus* (inquit Angelus) *addiscebant Virgines honeste se gerere, & Virginalem pudicitiam sumē usque ad mortem firmiter conservare, multiloquium, & omnes vanitates fugere ac omnia sua opera diligenti præmeditatione discutere, & spirituale libramine, æqua lance iustissime examinare. Viduis etiā ad ipsarum consolationem Virgo gloriossa referebat, quod quamvis ex materna caritate sibi placuisset quod suus amantissimus filius moriendi voluntatem habuisset, veruntamen sua voluntas materna divinæ se voluntati totaliter conformaverat, eligendo*

Sermo Angeli. cap. 19. prope fine.

do potius ad Dei voluntatis perfectionem, omnes tribulationes humiliter sustinere; quam ad aliquod suũ placitum à divina voluntate in aliquo dissentire. Tali enim collocutione viduarum animos, patientes in tribulationibus, & constantes in corporis tentationibus faciebat. Consulebat insuper coniungatis vt ad corpus, & animam, se mutuo vera, & non ficta charitate diligerent, & ad quemcumque Dei honorem individuam voluntatem haberent, de se ipsa illis referens, qualiter ipsa Deo fidem suam synceriter dederat, & qualiter propter ipsius charitatem divinæ voluntati in aliquo nunquam restiterat.

Illustris, & grata Christo Virgo, & sponsa Mecthildis, quæ divino spiritu illustrata, & in sacris revelationibus probè sanctèquè versata multa memoratu digna de Deipara Virgine prodidit, & inter alia sequẽtia Canisius decerpit, quæ vt scitu digna abscondita relinquere non debemus. *Vt primum* (inquit) *anima corpori Virginis est infusa, replevit illam Spiritus Sanctus, & singulari quadam sanctificatione illam sibi in sacrarium elegit, vt velut rosa sine spina, & tanquam Lucifer in mundum oriretur: adeo enim illam inde ab vtero Matris prævenit gratia, vt ad omne bonum mire propensa, & parata esset. Prima vero virtus, in qua iam nata infantula sese exercuit, singularis humilitas fuit, per quam nulli se vnquam creaturæ prætulit. Cum hac humilitate obedientiam, & charitatem sotiavit, parentibus quidem adeo subiecta, & obsequens, nulla vt illos vnquam ratione offenderit, & contristarit, vtque bonum virtutis singulare, & dilectione, & delectatione complecteretur, & complectendo imitaretur.*

Ex revelationibus Spõsa Christi Mectildis.

Lib. 1. de Maria Deipara cap. 13.

F 2 Tum

Tum prudentiam in puellari ætate tantam præsetulit, vt nihil vnquam puerile contra Dei gesserit voluntatem. Quod ad spiritualium rerum desiderium attinet Ex Patriarchis, & Prophetis nullus vnquam ardentiore venturi Messiæ desiderio, quam ipsa flagravit: nullus gratitudinis dono illam exæquavit, qui pro acceptis Dei beneficijs se fonti bonorum gratiorem ostenderet, ac exhiberet. Postremo si de corde Virginis agendum est, fuit hoc, & purissimum, vnde prima omnium votum Virginitatis emisit, & humilimum, vt si vlla re alia, præcipuè quidem humilitate meruerit de spiritu concipere Emanuelem, & ferventissimum, quia incredibili Dei, & proximi amore succenderetur, & conservantissimum, vt quæcumque infans, puella, & grandescens peragere, potuerit conservare. Hæc aliaque plura Mecthildis exponit.

Ventum est iam ad tertium opitulationis modum, nempè, *auxilij, & protectionis*. Quantum mortales huius beneficij commodum experti sint, tam cum Virgo Beata in terris vitam egit, quam post eius ad Cœlum Assumptionem, nostra Mater Ecclesia passim pædicat, cum illam advocatam nostram plenè confitetur, & oculos misericordiæ suæ ad nos convertere enixè deprecatur: non immerito hanc humilem orationem quotidie impendit, cum tantæ Matris auxilium necessarium esse pernoscat. *Per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam omnia restaurari*, asserit Sanctus Bernardus. Deo debentur per multæ gratiæ, quia per vnum hominem nempè Iesum Christum filium suum, & per vnam mulierem, scilicet Beatam Virginem Mariam,

Serm. in cap. 12. Apocalyp.

riam, omnia quæ perdita erant per primos parentes Adamum, & Evam restaurata sunt; & sicut primo parenti, *datum est adiutorium simile sibi*, ita Christo Domino, data est Virgo Sanctissima, *vt adiutorium simile sibi; simile* per naturam, quia fuit illi Mater vera, & naturalis, *simile* per gratiam, virtutem, puritatem, & sanctitatem, & si Eva fuit similis Adę, ita vt crearetur, & formaretur cum illo in gratia; Virgo sacra etiam similis fuit Christo, concepta cum illo in gratia; & vt rationi consonum, & aprimè optatum acute Divus Augustinus hoc ipsum paucis verbis confessus, & fasus est. *In Cœlo* (inquit) *qualis Pater, talis filius; in terra qualis filius talis Mater.* *Genes. 2.* *Serm. 1. de Sanctis.*

Vi huius auxlij multi scriptores, nomine corredemptricis hanc semper Virginem crebrò invocant Lanspergius cooperatricem Redemptionis apellavit; *voluit* (inquit) *Christi Matrem adesse sibi in doloribus, vt ex his quæ oculis foris cerneret intus animo vulneratur, vt sic Christi passionis, redemptionis quoq; nostræ particeps fieret, & cooperatrix.* Et Gregorius Thaumaturgus, nō solum eam redemptionis cooperatricem apellat, sed & principium reparationis effectam esse. *Tu fiduciam* (inquit) *in paradisum introitum dedisti, & antiquum dolorem, luctumque fugasti.* Sed quid egemus autoritatibus scriptorum, nonne ipsa Virgo Beatæ Birgittæ ipsam cum filio suo redimisse mundum in revelatione monstravit, & dixit *Propterea audacter dico, quia dolor eius* (loquitur de dolore Christi filij sui) *erat dolor meus, quia cor eius, erat cor meum sicut enim Adam, & Eva vendiderunt mundum pro vno pomo;* *Hom. 48. de passione.* *Serm. 2. de Annuntiat.* *Revelat. Sanctæ Birgitæ lib. 1. Capt. 35.*

sic

sic filius meus, & ego redemimus mundum quasi cum uno corde.

Sed quid? defuit aliquid nostræ Redemptioni ex parte Redemptoris nostri Christi Iesu? nonne Divinus Psaltes apud eum copiosam fuisse Redemptionem narrat? nonne Christus Dominus Sanguinem suum pretiosum pro Redemptione totius Mundi fudit in lavacrum, vt nos mundaret, & à servitute Diaboli libararet, delens Chirographum nostræ damnationis, & affigens illud cruci: quomodo in ea, aliquid defuisse demonstratur? maximè cum etiam de se ipso Divus Paulus iactet adimplere illa quæ defuerunt passionum Christi in carne sua pro corpore eius quod est Ecclesia? ergo si defuit aliquid, quod per alios adimpleri posset, passio, & Redemptio Christi, non fuit plena, sed imminuta, & insufficiens. Consequentia negatur; neque ex verbis dictæ revelationis colligendum venit Beatam Virginem propiè mundum redemisse, ac de rigore Iustitiæ satisfecisse, sicut de Christo Domino dicitur, quod vere nos redemerit, & pro nobis Divinæ Iustitiæ rigorosè satisfecerit, pura namque creatura, & si Deo grata sit, nullo modo sic poterat satisfacere vt probant Scholastici, & ex Divo Bonaventura, Alexandro Alensi, Anselmo, Ambrosio, Leone, Basilio, Nacianzeno, Cyrillo Alexandrino, Cyrillo Hierosolymitano, Hieronymo, & Divo Thoma defendit Gundisaluus Durantus in notis ad dictam revelationem; nam cum tota natura humana esset per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personæ, nec etiam plurium posset per æquiparantiam totius naturæ detrimentum compensare, cum etiam peccatum ex parte Dei

Psalmo. 129. vers. 7.

Collos. 2.

Ad Collos. 1. vers. 4.

In 3. sent. dist. 20. 2. 3. art. 1. 3. p. q. 1. memb. 6. art. 1. & 2. Lib. 1. à ca. 10. vsque ad 12. & lib. 2. à cap. 12. vsque ad 20. Cap. 9. Epist. ad Habr. Serm. 2. de natali.

Dei offensi, infinitatem quamdam importaret, oportuit ad condignam satisfactionem vt actus satisfacientis haberet infinitam efficatiam; quod non potuit in pura creatura reperiri. Sicque respondetur Beatam Virginem dici posse fuisse cooperatam mysterio Redemptionis cum Christo, quatenus ipsa eum peperit, qui mundum redemit; aut etiam quia cum hoc passione sua Christus effecerit. Maria vero, quæ, & materno dilectionis affectu; & summæ charitatis vinculo cum Redemptore ita coniuncta erat, vt filij dolores suos esse existimaverit, vt in dicta revelatione ipsa Mater expressit dicens, *quia dolor eius erat dolor meus, & quia cor eius erat cor meum*, mirum non est si ipsa hoc loco dicat, cum suo filio mundũ redimisse, & in hunc sensum debet hęc authoritas, & locus intelligi. Et deveniendo ad explicationem textus Divi Pauli, dicimus quod passio Christi in se fuit plena, & sufficiens; illique quoad valorem, & pretij sufficientiam nihil defuit: Nã Christus Dominus sua passione comparavit pretium sufficiens toti mundo redimendo, imò mille mundis redimendis. At vero eidem passioni aliquid defuit, & deest in nobis, nimirum communicatio, & participatio passionis ad meritorum Christi; vt scilicet Christus Dominus noster non tantum in se, sed etiam in suis membris, id est, Apostolis; alijsque fidelibus similia patiatur; hacque passione propagetur; & perficiatur corpus eius, quod est Ecclesia. Statuit Deus æterno suo decreto, vt Christus non tantum in se, sed etiam in suo corpore, & membris, puta in Ecclesia, & fidelibus pateretur, & passione eorundem consummaretur, ac perficeretur; dum nimirum

In Psalm. 48. Serm. de Pasch. De Incarnat. cap. 11. Cathec. 14. lib. 3. contra Valentinum. 3 par. quaest. 1. art. 2. ad 2. 3.

mirum

mirum fideles patiendo participes fiunt, & similes Christi patientis, & crucifixi. Vndè licet Christus Dominus abunde passus est vt nos redimeret, nobisque compararet commune lytrum, quo à peccato redimamur, si illud nobis applicetur, verum vt hoc, & hæc Christi Domini passio hominibus, præsertim in fidelibus applicetur, multa desunt adhuc, scilicet vt Apostoli per totum orbem peregrinantes prædicent, & doceant omnes gentes, moneant, hortentur, arguant, vt eas convertant, & multa dura, & acerba patiantur, vt Apostolus Paulus vincula, & tormenta passus est in carne sua, vt ea quæ deerant passionibus Christi in gentium conversione propaganda ad impleret; & pro Corpore Christi (quod est *Ecclesia*) pateretur multa. Vnde dignitas præconum, & Doctorum Ecclesiæ, inter quos principatum habet Doctorum Doctrix Virgo Maria (vt pote quos Christus vocat in partem sui officij, & ministerij, vt prędicationem Evangelij, quam ipse cæpit, illi compleant; opusque Redemptionis humanæ, ad quod Christus à Patre in mundum missus est, absolvant, & perficiant) ad notanda, & in magnum habenda venit. Nec corredemptricis nomine Virginem Beatam defraudare debemus, cum notum etiam sit, quantum proliberandis peccatoribus elaboraverit, & pro gentilibus, Mauris, Iudæis, Hæreticis, & aliis veræ Fidei, & Religioni adversantibus, reducendis insudaverit, vt ad veram agnitionem devenirēt & suo materno amore vt ad Dominicum ovile, errantes oves atraheret, propius adimplens pro Ecclesia, ea quę desunt passionibus Christi; quia sine his passiones Christi non complerent Thesaurum Ecclesiæ

clesiæ prout à Deo institutus est, nimirum vt non tantum è Christi, sed & aliorum Sanctorum passionibus, & satisfactionibus conflaretur.

Scimus enim Christum Dominum nostrum non ex necessitate, sed ex mera dignatione misericordiæ matrem in societatem tam sublimis tituli assumpsisse: & dudum in Sancto Bernardo legitur, quod obiectioni possit opponi, & responderi: *& quidem* (inquit Bernardus) *sufficere poterat Christus: si quidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat hominem esse solum: congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset.* Et infra. *Opus est* (inquit) *mediatore ad mediatorem istum; nec alter nobis vtilior quam Maria quæ salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinavit.* Serm. signum magnum.

Virginis ergo, & nostri causa factum, credere debemus, quod assumpserit Christus in reparãdo genere humano adiutorium simile sibi; ne scilicet vel illa tanta gloria, vel nos tam gloriossa careremus Domina: neque Patrum testimonia postea referenda efflagitant, vt præcisse dicamus, Virginem Redemptionem nostram operatam fuisse; & quod satis carum, nostri prætium illa soluit, vt mancipia eius constituamur, quamvis de condigno pro nobis non satisfecerit. Nec negari potest salutis nostræ autrix, & reparatrix generis humani Virgo Maria dicatur, vt Angelicus Doctor, Angelicè suggerit, his verbis. *Nam per Angeli annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ in spirituali illo matrimonio inter filium Dei, & humanam naturam.* Vbi notanda maxime veniunt verba 3. p. quæst. 30. art. 1.

illa mirabilia à Sancto, & admirabili doctore prolata. *Expectabatur consensus Virginis.* nec tantum loco, vt ille ait, totius humanæ naturæ, sed etiam ratione particulari ipsiusmet Virginis, vt optime explicat Guilielmus apud Martinum del Rio in cantic. 4. *Ad futuræ* (inquit) *Matris excellentiam non tantum ex ipsa* carnem sumere, sed etiam ab ipsa volebat.

Martinus del Rio in cant. 4.

Vnde mirum non est Sanctos Patres pia devotione commotos ita fuisse in tantæ Matris laudem esse locutos nec metam transsilirent, quamvis largius prædicassent. Audiatur Sophronius D. Hieronymo coætaneus qui de Auxilio Virginis, ita loquitur: *Nec enim dubium est illam, quæ meruit pro liberandis ferre pretium posse liberatis impartiri suffragium. Nostra inter hæc oratio iugis ad Dominum dirigatur, vt qui pro honore nominis sui viscera illa, quæ Senctificaverat intravit, pro sit nobis ad remedium, qui per illam se nobis dedit in pretium.* Accedat Ricardus à Sancto Victore, vbi de Maria Virgine dicit *Omnium salutem desideravit, quæsivit, & obtinuit; imo, & salus omnium per ipsam facta est, vnde, & mundi salus dicta est.* Aureis verbis Sanctus Ephræm, hoc idem tenet, & oratione ad Virginem ait. *Per te recorciliati sumus Deo tu captivorum redemptio, tu omnium salus. Ave pax, gaudium, & salus mundi, ave mediatrix gloriosissima, ave vniversi terrarum orbis cōciliatrix* Quid dicam de Sancto Germano Patriarcha Constantinopolitano, nulli alteri ponderosa, & dulcisona verba eius sententiæ cedunt, qui veritati admiscens dulcedinem, hæc de Beata Virgine ruminanda.

Epist. de Virg. Assumptione.

In cantic. cap. 26.

Orat. ad Virg.

da verba refert. *Nemo salvatur nisi per te à Dei para: nemo liberatur à periculis nisi per te, ò Virgo puerpera; nemo cœlesti aliquo munere donatur nisi per te, ò Deo carissima.* Coronidem imponat Melifluus Bernardus qui in Sermone 2. Penthecostes ita de Beata Virgine, eiusque patrocinio loquitur. *In te Angeli lætitiam, iusti gratiam peccatores veniam invenerunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creavit recreavit*, Credamus etiam quod *sicut apud Deum est potentior*, ita, & præomnibus sanctis est pro nobis solicitior vt verbis Augustini vtar, quæ Bonaventura in speculo Mariæ refert. *Scriptis*; etiam Beatam Virginem aliquos adiuvisse, aliquorum sententia tenet, de tribus epistolis huius tantæ Matris fit specialis mentio, vna ad Sanctum Ignatium Martyrem, secunda ad Messanenses, & tertia ad Florentinos. De his latè pro sua defensione agit dictus Pater Melchior Inchoferius libro, cui titulus Epistolæ Beatę Virginis Mariæ ad Messanenses, veritas vindicata.

Serm. de dormi Beatæ Mariæ.

Serm. 2. Penthecostes.

In spec. Mariæ

Inchoferius lib. veritas vindicata ad Messanenses.

Epistola ad Sanctum Ignatium; sequentis dicitur fuisse tenoris. *Ignatio dilecto discipulo humilis ancilla Christi Iesu. De Iesu, quæ à Ioanne audisti, & didicisti, vera sunt; illa credas & illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas: & mores, & vitam voto conformes. Veniam autem vna cum Ioanne te, & qui tecum sunt visura: sta, & in fide viriliter age, nec te commoveat persecutionis austeritas, sed valeat, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.*

Epistola Beatæ Virg. ad Ignatium Martyr.

Epistola Beatæ Virg. ad Messanenses.

Epistola ad Messanenses scripta, vt sequitur, authores eam referentes, adscribunt. *Maria Virgo Ioachim filia, Dei humillima Christi Iesu Crucifixi mater, ex tribu Iuda, stirpe David Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem. Vos omnes fide magna legatos, ac nuntios per publicum documentum ad nos misisse constat: filium nostrum Dei genitum Deum, & hominem esse fatemini, & in Cœlum post suam resurrectionem ascendisse: Pauli Apostoli electi prædicatione mediante viam veritatis agnoscentes. Ob quod vos, & ipsam civitatem benedicimus, cuius perpetuam protectricem nos esse volumus.*

Epistola Beatæ Virginis. ad florentinos.

Tertia Epistola ad Florentinos missa, sic, apud Petrum Canisium lib. 5. de Deipara Maria cap. 1. delineata invenitur *Florentia Deo & Domino Iesu Christo filio meo, & mihi dilecta tene fidem, insta orationibus, robora te patientia; his enim, & sempiternam salutem apud Deum, & apud homines gloriam consequeris.*

De istarum Epistolarum veritate non pauci dubitant, licet plures defensent; in eis contenta catholicæ doctrinæ, rectis moribus, modestiæ, & gravitati tantæ Matri debitis non videntur opponi, nec contrariari, immo indicant suum erga nos mortales amorem, & maternalium viscerum pietatem vnde piè, à Beata Virgine scriptas, crederem, nec de facilitate aliquid denotari posse; si attendamus quantis votis, & pijs precibus hæc beneficia sint asecuta; nec Mater, & Magistra viventium in docendo eos quos sub sua protectione filius suus sub Ioannis nomine reliquit, & commendavit, illos in omnibus

adiu-

adiuvando, & instruendo facilis vnquam existere poterat, nec decori, & maiestati suæ aliquid derogari.

Primam ad Beatum Ignatium epistolam amplectuntur Diuus Bernardus Sermone 7. in Psalmum. 90. Dionisyus super Dionysium de divinis nominibus, Marcus Michael Presbyter Carnotensis in libro de viris illustribus, Petrus Canisius, Dionisius Richelius, Marianus Victorius, Symphorianus, Champerius citati à dicto à Patre Melchiore Inchofer cap. 21. vbi eiusdem Societatis Petro Christophoro à Castro in libro Historiæ Deiparæ cap. 23. aliter sentienti respondit. *Inchopher. cap. 21.*

Pro secunda ad Messanenses epistola est apud illos antiquissima traditio, ita recepta, & inconcusa, de qua, & de veritate huius epistolæ agunt Historicus Lucius Flavius Dexter in chronico anno Domini 86. vbi sic ait. *Apud Messanenses celebris est memoria Beatæ Virginis Mariæ missa prius ab eadem dulcis Epistola.* Constantinus lascaris in Epistolam Beatæ Mariæ Virginis ad Messanenses; Mutius Iustinopolitanus Historicus lib. 1. Historiæ sacræ cap 13. Martinus Navarrus lib. de oratione. & horis canonicis cap. 21. num. 28. Alphonsus Villegas; Ioannes à cartagena, Christoforus Veruchius, Petrus Antonius Spinellus, Ioannes Bonifacius, Ioannes Petrus Odescalcus, Francsscus Fasanus, Franciscus Arias, Laurentius Masellus, Felix Astolphus, Ferreolus Locrius, Ioannes Paulus Ferrella, Ioannes Baptista Laurus, & alij à dicto Patre Melchiore Inchofer cap. 47. relati, eandem viam aggressi, communi sensu abundant. Et cum de veritate eiusdem

Epi-

Epistolæ Pater Christoforus à Castro etiam dubitet præfato libro Historiæ Deiparæ cap. 23. late respondit pro defensione suus, ex ordine frater Melchior Inchofer vbi supra cap. 18.

De epistola ad Florentinos (quā ipsi à Beata Virgine recepisse non immerito gloriantur) habetur mentio apud Hieronymum Ferrariensem in contione habita Florentiæ. 25. Octobris anno Domini 1495.

Ex quibus aperte demonstratur quam plenè, & perfecte Beata Virgo illuminatricis ministerium adimpleverit, quantumque suis vitæ, & doctrinæ exemplis illos primitivæ Ecclesiæ Patres, & Rectores Sanctos Apostolos, & Domini discipulos edocuerit, & illuminaverit; cæterosque Catholicæ Religionis sectatores adamaverit; & foverit, Matris, & Magistræ munus à prime exercens, & adimplens.

Quomodo ergo ita illuminata, & virtutibus prædita non crederet? vel aliquo modo deficere in fide valeret? in qua infinita perpetrata fuere mysteria, & Deus rerum omnium auctor, & principium, indivisibilis essentiæ existens ex illa natum susceperit maiestati sibi, & annis coævum, & coæqualem, eundem persona quidem distinctum, substantiæ vero, & gloriæ participatione indistinctum? quomodo eadē persona, quæ ab omni æternitate naturam sibi divinam iure arrogavit, remoto regali sceptro, & potentia, in illam deveniens imbellis infantulus, carnem de carne sua asciscens, nutrimento de vberibus suis profluenter lactatus, suis se amplexibus stringendum gremio que confovendum assidue præbens hanc ita

bene-

beneficam Matrem in Mysteriorum sacrorum intel ligentia, & fide vllo vnquam in tempore deviare posse permitteret? nec credendum, nec dicendum.

Quis etiam ignorare valet, quin omnium Sancto rum Patrum, & Doctorum, scientiam & doctrinam non ab hac Magistrorum Magistra, & Doctorum Doctricè principium, & incrementum percepisse? Augustini profunditatem? Ambrosij gravitatem? Hieronymi acumen? Gregorij authoritatem? Bernardi mellifluitatē? Chrisostomi auriloquium? Leonis eloquentiam? Chrisologi laconismum? Antonij Paduani sacrarum scripturarū intelligentiam? Thomæ Aquinatis doctrinam? Scoti subtilitatem? non propter huius tantæ Dominæ, cultum, reverentiam, obsequiemque præstitum, hominibus ita celebriora, & vtiliora apparuere? Quid dicemus de cæteris vniversæ Ecclesiæ germinibus fœlicissimis, tanta in genij laude florentibus quorum scientia, & doctrina totus orbis ditatus existit; non omnes isti rutilantissimis gloriæ Beatæ Virginis radijs offuscati, & quasi oculis perstricti totos in honores, laudes que suas enumeradas insumpsere? fassique sunt hoc totum quod habebant, adeptique fuerant, sua gratia, benignaque fovente misericordia asequuti? id que non solū argumentis humanæ divinæque sapientiæ, sed & semetipsos ad præstandum tātæ Matri iugem famulatū, quasi simplicissimos infantes ac Idiotas exibendo, aliqui illam in Matrē suam assumētes; alij in advocatā alij in Dominam, & Magistram. Non etiā omne quod isti docuere? quod Prophetæ prophetavere? aut Apostoli prædicavere? aut Patres defendere? aut Doctores declaravere? est intra, & iuxta

illam

illam fidem simplicem, quæ per Mariam concepta, per illam edita, ab illa pasta, & enutrita extitit? Quomodo ergo in fide allucinari poterat? quæ scientiæ omnis, & prophetiæ dono calluit, & gloriæ lumine irradiata, & illuminata ab omnibus profitetur? super sedeant hi maligni hostes Mariæ fidei detrahentes, eandemque tam protervè inficiantes.

CAPVT. V.

AN VIRGO MARIA INSTRVxit Magos in Rebus Fidei.



Anc invenimus agitatam quæstionem à Patre Ioanne Baptista Novato Mediolanensi Religionis clericorum Regularium in primo suo libro de Eminentia Deiparæ quam in affirmativam partem disolvit; sed eam nulla expressa vel sacræ scripturę vel Sanctorum Patrum authoritate fulcit; sed tantum, verosimilibus rationibus, congruentijs, alijsque pijs considerationibus tum ex Beatæ Virginis ad omnes in rebus fidei edocendos pro pensione, tum ex Apostolorum, aliorumque sanctorum ad eam frequentibus consultationibus circa intelligentiam mysteriorum sacrorum, credibilem, immo & necessariam hanc instructionem supponit.

Et licet nimis vrgeat ad huius asserti affirmati-

vam partem tenendam illa eximia, & incredibilis Beatæ Virginis charitas; tum erga Deum, tum erga proximum, quæ in vtrumquè erat eminentissima; vt quod, & ad filij gloriam, & Magorum vtilitatem maximè conduceret, non substraheret (vt rectè notat Novatus) at metas piæ considerationis, & credulitatis transigere non debet, quando nec Evangelij textus, nec Sanctorum Patrum authoritas ad affirmandum iuvant. Nec ita facile credendum venit, quod quamvis pia Mater Virgo Maria ad Magos instruendos charitate, & pietate sua compelleretur, eos, qui solum ad adorandum Filium suum accesserant genuflexiquè munera offerebant tam familiariter colloqueretur, & illico in Fide instrueret, & erudiret; sed quod cum Maiestate, & benigna severitate eos reciperet, & Regem Regum Filium suum adorandum exhiberet, tantumquè necessaria, & pauca loqueretur verba (vt moris semper habebat) & cum nec textus sacer Magos aliquem cum Beata Virgine habuisse sermonem referat, ex quo occasio aliqua oriretur, vt ad res sacras tractandas devenirent; possentquè à Beata Virgine in eis instrui; licèt non totaliter inverosimilem; non multum credibilem hanc sententiam existimamus; quamvis hoc pro certo firmet Novatus dicens: *Collige quam nobile opus sit populos sacræ Fidei rudimentis imbuere, quod Beata Virgo prima in Magis voluit exercere: vndè iustè gloriari possunt ij, quorum institutum, hoc tam sublime respicit Magisterium.*

Lib. 1. de eminentia Deiparæ cap. 13. q. 3.

At si Novatus loqueretur de instructione interna scilicet de illuminatione, vel illustratione, non de verbali, non solum creditu facile concederemus, sed

potius necessarium profiteremur: Nam stella ducti Reges, & miraculosè evecti, vsquè ad præsepè Domini, vt ibi eum adorent, muneraquè proferrent, & eadem duce ad patriam suam reducti; hoc miraculo præsagiente, quid non ex aspectu Domini cultu, adoratione, munerum largitione, & confessione ij fœlices Reges adipiscerentur? Non solùm in cognitione veri Dei, sed in rebus omnibus ad Fidem pertinentibus sufficiēter instructi remanerent, ac in alijs necessarijs ad sua Regna se, & suos paccàte gubernandos non minimè edocti evasissent.

Non verbis, sed signis, & internis inspirationibus, & illustrationibus, hæc omnia contigerunt illis; & in somnis admoniti, ne in recessu ad Herodem irent, sed per aliam viam in Regionem suam peragrarent, opere compleverunt. Quærimus nunc (vt huic sententiæ fortius inhæreamus) ad quid somniū, & signa? Si Virgo Beata eos verbaliter instruebat, non sicut in rebus Fidei necessaria; etiam alia in suo recessu scitu digna, vt ab illis liberarentur, manifestàret? Facile credenda veniunt. Sed instructio interna fuit non verbalis; nam Filius suus, qui vt verè homo, ita videri voluit; cum non dum loquelæ capax inveniretur, & externe loqui non valeret, interne operabatur, & Magos instruebat in Fide. Ita Sanctus Paschasius somnij oraculum Magos accepisse narrat. *Non per Angelum* (inquit) *hæc responsio facta dicitur, sed Sanctorum Patrum traditio est ab ipso Domino imbutos fuisse. Quia neminem alium constat viam regressionis ad Patriam vsque instituisse præter eum qui se viam præbuit imitabilem, vt per ipsum, ad ipsum tendentes*

Lib. 2. in Matthæum.

quan-

quandoque patriam repetamus. Clarius Divus Augustinus exponit, *Qui stella duce* (inquit) *venerant in Iudæam, in patriam suam æterni solis illuminati radijs revertuntur*. Id est, non aliter reverterentur quam inusitatis gratiæ fulgoribus illustrati. Sic Virgo Maria non externè operabatur nec loquebatur, sed attente considerabat, & internè cum filio suo mirificè illos Reges instruebat, & dirigebat. *Epistola 64.*

Iuxta prædicta Novarinus cum de istorum Magorum instructione ageret ita à Matre, & filio illuminatos describit. *Spectarunt Magi Reges, qui adorato in Virginis sinu Christo in præsepis schola, & à Christo, & à Matre ea didicerunt, quæ ad plenũ, perfectũque suorũ subditorum regimen erãt necessaria: nam discedentes sanctis, iustisque legibus, quas moribus animabant, ita suos rexerunt, vt & Sanctissimorum Regum nomen sustinerent, & multos ad Christum allicerent, simul ostendentes quam bene docti à Virgine, & Virginis filio fuerint, & vniversi, qui sub Virginis vmbra, ac tegmine Virginis vmbram, se præbuerunt, ita suis imperarunt, vt cæteris Regibus in exemplum sint, habent qui super alios sunt, magnam horum exemplorum nubem solum superst, vt ea ita spectent, vt etiam imitentur.* *Vmbra Virginea lib. 4. excursu. 64. num. 630.*

Hinc oritur differentia in manifestatione nati Regis facta Pastoribus, & Magis; per Angelum nativitas Dñi Pastoribus annuntiatur, dicentem: *Ecce enim Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus in Civitate David*. Magis non per Angelum sed per stellam hæc sacra nativitas il- *Lucæ 2.*

 luxit, *Mathæi.*

luxit, *Vidimus* (inquiunt) *stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.*

Disparitatis rationem Sanctus Gregorius Papa apprimè docet. *Quia videlicet* (inquit) *Iudæis, tam quam ratione utentibus, rationale animal, id est Angelus, prædicare debuit: Gentiles verò, quia uti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum, non per vocem, sed per signa perducuntur. Vndè etiam per Paulum dicitur: Prophetiæ fidelibus datæ sunt, non infidelibus, signa autem infidelibus, nō fidelibus. Quia, & illis prophetiæ tamquam, fidelibus, non infidelibus: & istis signa tamquam infidelibus, non fidelibus data sunt.*

Hom. 10. in Evangelia.

Ergo si Magis tamquam ratione non utentibus signa non prophetiæ Salvatoris nativitatem nuntiarunt? nec etiam eis mysteria divina, & fidei Catholicæ initia externa locutione imbueret Beata Virgo? præcipuè cum Redemptor filius suus parvulus, & loqui nesciens per naturam existens, aliquam iudicandi præberet causam non à filio suo sed ab ea instructionem illam exoriri potuisse? quod alienum sane à mente, & rectitudine sua fuerat.

Illationi favet idem Gregorius vbi supra, paucis interpositis verbis; *Et notandum* (inquit) *quod Redemptorem nostrum, cum iam perfectæ esset ætatis, eisdem gentilibus Apostoli prædicant, eumque parvulum, & nec dum per humani corporis officium loquentem, stella gentibus denuntiat: quia nimirum rationis ordo poscebat, ut, & loquentem iam Dominum loquentes, nobis prædicatores innotescerent, & nec dum loquentem elementa muta prædicarent.*

CA-

CAPVT VI.

GLADIVM ANIMAM Virginis per transiturum ex Simeonis dicto, non scandali, & ambiguitatis fuisse (contra Origenem, & alios) defenditur.



X verbis Lucæ. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelētur ex multis cordibus cogitationes.* Quæ Simeon Iustus, & Senex Virgini Marię vaticinatus est; ansam arripuit Origenes, vt gladium hunc scandali, & ambiguitatis, adeoque infidelitatis hic Beatę Virgini attribuere ausus esset; perinde ac si illa cum Apostolis commune sibi scandalum habuerit; atquè in vera fide nutarit, quum Christum filium in horrendis, & extremis illis versari supplicijs vidit. *Tuam ipsius animam* (inquit Origenes) *quæ scis absque viro peperisse te Virginem, quæ audisti à Gabriele: Spiritus Sanctus veniet super te, & virtus altissmi obumbrabit tibi, per transibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris, & cogitationes tuæ te in diuersa lacerabunt:* Luc. 2. Hom. 17, in Lucam.

cum.

cum videris illum, quem filiũ Dei audieras, & sciebas absque semine viri esse generatum, crucifigi, & mori, & suplicijs humanis esse subiectum.

Nonnulli veteres, & græci scriptores Origenem sequentes, qui hunc sensum Simeonis verbis primus affingit; hoc idem fateri non erubent, sic autem hunc scripturæ locum intelligentes, & postillantes; *& tuam ipsius animam pertransibit gladius, &c.* Inter quos recensent Chrysostomum, Amphilochium, Theophilum, & Augustinum.

Super Psalmũ. 13. Hommilia de occursu Domini. In secundam Lucæ. In questionivet & novi testa.

Sed cum in scriptura sacra gladius sumatur diversimodè, vel propriè vel metaphoricè, & hoc multipliciter variasque acceptiones habet, prius agemus de illis, postea deveniemus ad illum de quo Simeon loquitur.

Matthæi 26.

Primus est gladius ille corporeus de quo dicit Dominus Petro: *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit*; de hoc nullus est qui affirmet Simeonẽ fuisse locutum.

Ephes. 6.

Est etiam gladius spiritualis, scilicet verbum Dei, & prædicatio, cuius meminit Paulus, Christi militibus commendans. *Accipite* (inquit) *gladium spiritus quod est verbum Dei quem* ad Hæbreos scribens *omni ense ancipite penetrabiliorem* dicit, *quia vivus sermo Dei, & efficax*, quod non possint intelligi dicta verba Simeonis de hoc gladio prędicationis Verbi Divini, ex hoc facile colligitur quia nihil novi Simeon assereret, si Maria Virgo non nisi Verbo Dei, velut gladio transfigendam diceret; nam semper hæc Virgo Beata hoc cibo quotidiannoque pastu alebatur, & maximè pascebatur, & in delicijs habebat

hat

bat rememorare auditum Dei Verbum, & secum animo revolucre.

Gladius etiam intelligitur divini iudicij severitas; de hoc gladio verba Simeonis voluit intelligi Divus Hilarius, dicens: *Nam si illam subitura est Beata Virgo, quis audebit à Deo iudicari?* Hæc interpretatio (vt rectè notat Cartagena) proprio gladio se ipsam interimit: nam cum Beata Virgo numquam peccarit, & ad iudicium ventura sit in corpore & anima gloriosa, nihil severitatis iudicium illud ei afferet.

Super Psalm. 118.

In morali, tom. 2. lib. 12. Hom. 10.

Gladius simul corporalis necis passio dicitur, & de hoc vaticinium Simeonis interpretari iudicavit Isidorus, & Beatam Virginem corporalis necis passione ab hac vita migrasse, pro eo quod iustus Simeon complectens brachijs suis Christum prophetavit dicens: *& tuā ipsius animam pertransibit gladius*; sed hæc opinio non subsistit, incerta omnino est, nec adaptatur Simeonis dicto, qui non dicit gladium corpus eius transiturum, sed animam; ergo non loquitur de hoc gladio materiali. Eiusdē censure est Amadeus, qui Beatam Virginem pro nimio dolore iuxta Crucem vitam finisse, dixit, & sic de gladio mortis Simeonis dictum intelligendum putat; sed etiam hæc sententia nullo stabili fundamento nititur; imò adversatur communi Sanctorum Patrum, testimonio præcipuè Hieronymi Damasceni, Augustini, & aliorum, qui obitum Beatæ Virginis per multos annos post Christi Ascensionem accidisse commemorant, & etiam, alias, incredibile redditur; nam Divus Ioannes Evangelista, qui illius

De vita, & morte Sanctorum, cap. 68.

Hom. de Virg. Matr.

ad-

adstantis cruci memor fuit, eiusdem ibidem morientis immemor fuisset?

Gladium etiam scandalum in illo Simeonis Vaticinio, quo Maria offensa fuit tempore passionis Christi Domini intellexerunt cum dictis Chrysostomo, Augustino, Amphilochio, Theophilato, & Origene, Tertulianus, & Titus Bostrenus; simulque dubitationem supponunt, stupore quodam in morte Domini, eiusque passione. Hæc sententia licèt tantorum Patrum, & Scriptorum munita authoritate, si intelligatur de scandalo, vel dubitatione coniuncta cum infidelitate non tenet; at verò si cum hæsitatione stuporis cuiusdam, cui annexa esse solet ingens quædã admiratio, intelligatur, substineri valebit; ita Divus Thomas revocandos in hunc sensum patres, & Scriptores supracitatos credit, ibique dubitationem illam non propriè Fidei infirmitatatem, sed rerum visarum admirationem, stuporemque appellarunt. *Quidam verò* (inquit Divus Thomas) *per gladium dubitationem intelligunt, quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis, sed admirationis, & discusionis. Dicit enim Basilius in Epistola ad optimum, quod Beata Virgo assistens cruci, & aspiciens singula, post testimimonium Gabrielis, post ineffabilem divinæ conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat; ex vna scilicet parte videns eum pati abiecta, & ex alia parte considerans eius mirifica.*

De carne Christi, cap. 7. In cap. 2. Lucæ.

3. par. quæst. 27. art. 4. ad 2.

Et licèt tanti Doctoris sententia valde vrgeat, aliquibus non minus compulit vt cum fundamento (suo videri) in Beata Virgine etiam admirationis gladium non admitterent; cuius sententia hæc est

potissi-

potiſsima ratio, nam admiratio vt in plurimum ab ignorantia ortum habet. *Ignorant primi* (inquit Ariſtoteles) *qui admirati novis cæperunt philoſophari.* Non ergo Magiſtram Apoſtolorum, & totius Chriſtianitatis doctricem, arcanorum filij ſui fidiſsimam cuſtodem, & prophetiæ Spiritu illuſtratam vllo modo ignorantia notare licerè, inſciamque omnium quæ à Simeone ei fuerant nuntiata, dicere, ſicquè ſolum de gladio tribulationis, doloris, & compaſsionis illa verba debere intelligi, & explanari credunt.

Ariſtoteles.
Lucæ 1.
Comment. ſuper 3. partem Divi Thomæ q. 27. diſput. 4. ſect. 4.

Sed cum Divi Thomæ ſententia apud omnes tantæ debeat eſſe authoritatis, ab ea recedere non debemus; neque obſtat quod obijcitur pro dicto Philoſophi, nam diſcrimen magnum verſatur inter admirationem dubitationis, quæ ex quadam infidelitate procedit, & aliam quæ reverentiæ, & congratulationis officio coniuncta eſt. Ideo vitioſa fuit Zachariæ admiratio, cum filium ex ſe naſciturum audiret; Maria vero ſalutantem Angelum ſine vitio admiratur, ipſique Angeli ob novam Chriſti in carne gloriam apud Eſaìam, obſtupeſcunt, ſimulquè ſanctè gratulantur. Nequè omnis admiratio provenit ex ignorantia, nam licèt quis quæ ignorat, multoties miretur alius quæ verè capit, & intelligit, non minus plaudit, & laudat, & pro magnitudine vel excellentia operis, quod ſumit laudandum, & verè captum ſuum non ſuperat, neque excedit, laudationis admirationi locum tribuit. Beata Virgo non quia labores quos in paſsione ſua filius patiebatur nō agnoſcebat, admirabatur, imò, quia eorum magnitudinem penetrabat, eos ita fortiter ſuſtinentem filium, mirabatur. Vndè rectè dicit Divus Thomas Sanctos

de hoc gladio dubitationis loquentes, non de dubitatione infidelitatis, sed admirationis, & discusionis debere intelligi, nec aliquid Beatæ Virgini detrahitur

Franciscus Suarius magis de veritate dubitat quã interpretatur sententias dictorum Sanctorum Patrum, & circa Divum Chrysostomum refert inter opera eius non inveniri enarrationem aliquam in Psalmum 13. Tertullianum vero aut fuisse corruptum aut textum non fideliter citatum, Theophilactum etiam nihil certi hac de re affirmasse, Origenem alibi hom. 18. in Lucam circa medium, (& an notavit glossa ibidem) non scandalum aliquod sumpsisse ex morte filij eius, sed dolorem maximum sensisse, affirmasse, Divum Augustinum non fuisse authorem illius libri de quæstionibus Veteris, & novi testamenti iudicio Doctorum etiam defendit, & tradit Petrus Canisius, hocque magis rationi consonum efficit, contrarium alibi à Divo Augustino affirmatum reperiri nam in quadam Epistola ad Paulinum in hunc modum loquitur. *Tribulationem igitur gladij nomine significatam esse, credibile est, quo materna anima vulnerata est doloris affectu: Ipse fuit gladius in ore persecutorum; de quibus in Psalmo dicitur: & gladius in labijs eorum, ipsi enim erant filij hominum, quorum dentes, arma, & sagittæ, & linguę eorum gladius acutus. Nam, & ferrum, quod per transit animam eius, donec veniret verbum eius id est, tandiu fuit in dura tribulatione donec fieret quod prædixit.*

Lib. 4. Deipara cap. 27.

Epist. 19. ad nonam quæstionẽ Paulini.

Psalmo 58.

Ibidem vers. 56.

Sed quicquid sit de realitate dictarum sententiarum, cum Divo Thoma quem sequuntur Sixtus Senensis,

Lib. 5. annot.

nenſis, & alij Sancti Patres, cæterique ſcriptores ex eo quod fidem Mariæ in morte filij ſuſpectam quaſi reddere videntur, veniunt intelligendi, & interpretandi.

Amor etiam gladius dicitur, qui amanti animam pungit, & vulnerat, de quo in canticis canticorum: *Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa* alibi. *Stipate me malis quia amore langueo. Quia vulnerata charitate ego ſum.* Quibus verbis ad ſimilitudinem ſagittæ volantis videtur reſpicere, quam ſcilicet Deus vt humana corda feriret, iacularetur, & Divinus amor Virginem vulneravit, & poſtea eam velut ſagittam aſſumpſit, vt corda noſtra amoris feriret ictibus, O vtinam nos Beati, quos hæc ſagitta vulnerarit, & petierit? Verè ſine quærella qua clamans Iob. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit Spiritum meum*, gratias Deo rependere deberemus, ſi fortè Virgineæ hæ ſagittæ corda noſtra tranſverberarent, & confoderent, & abſumerent virorem omnem carnis noſtræ, vt mundo emortui ſoli Deo viveremus. De hoc amoris gladio locum Simeonis intelligi debere pariter omnes ſentiunt quia ex amore dolor paſsionis filij ſui magis in Virgine Beata crevit, quaſi Simeon diceret quod amor erga patientem filium Mariæ animum graviter vulneraturus eſſet. Et de hoc gladio ſimul cum illo doloris, & compaſsionis infra latius agemus.

Canticor. 4. verſ. 9.
Canticor. 2. verſ. 5.
Cap. 6. verſ. 4.

Alius eſt gladius doloris, tribulationis, & compaſsionis, qui animam iuſti vulnerat, penetrat ſæpè, & pertranſit, ſic David canit de Adoleſcente caſto Ioſeph, quod *ferrum animam eius pertranſierit*, quandoquidem fratrum iniuria venditus alienige-

nis, & impudicæ heræ calumnia in vincula coniectus, ad tempus vitam duxit calamitosam. Et ipse Psaltes, multas esse tribulationes iustorum, simul enarrat. De hoc gladio loqui Simeonem communis, & concors Sanctorum sententia est, sed si benè attendatur tantum fuit gladius laboris, quantum fuit amoris qui eo gradu quo Beata Virgo filium suum dilexit, illius labores opprobia, tormẽta, & passiones doluit, & ita reciprocè se habebant dolores Filij, & Matris in passionibus suis, vt non facile sit colligere qualis esset maior. *Ecce* (inquit Simeon) *positus est in ruinam, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam per transibit gladius*, quasi dicat, adeo contradicetur ab impijs illi, vt ob id doloris gladius penetraturus sit, non solum filij tui animam, aut credentium in eum, sed & tuam quoque animam, sic interpretantur hunc locum Divus Hieronymus, Beda, Euthimius, Toletus, Cornelius, Ioannes Maldonatus, & Franciscus Suarius. Non enim duo similes, alter Christi, alter Mariæ gladij hic considerandi sunt sed vnus tantum Christi gladius designatur, ita quod gladius, qui hoc loco Mariæ animã transiturus dicitur, idem prorsus sit cum gladio ipsius Christi, ipsa enim eius crux, & mors, atque ille ipse Christi gladius Mariæ animam penetraturus dicitur, non quod occisurus eam omnino esset, vt Christum, sed quod Christum occidendo eam esset vulneraturus, vt Divus Bernardus contemplans sequentibus exponit verbis: *Vere ò tuam Beata Maria animam gladius pertransivit, alioquin non nisi ipsam pertransiens carnem filij tui penetraret.*

Psalm. 33.

Luca 2.

Serm. 1. de Assumpt. in Lucam.

Comm. in. Lucam.

In 2. caput Luca annot. 56.

In concordia p. 1. cap. 10.

In Lucam cap. 2. n. 35.

In comment. super 3. partem Divi Thomæ q 27. dispt. 4. sect. 4.

Serm. super illa verba Apocalypsis 12. signum magnum.

Beata Virgo Maria non alio quam doloris gladio per-

percussa dici potest, non dubitationis, vel infidelitatis, quem sensum huic textui proprium, & genuinum Liranus exponit dicens. *Dolor Dominicæ passionis quia non potuit videre crucifigi sine affectu matrni doloris, & si speraret resurrecturum, & mortem devicturum. Vsque ad finem sæculi animam Ecclesiæ gladius tribulationis pertransit, cum signo fidei ab improbis contradicitur, cum multos ruere videt, cum revelatis cordium cogitationibus, vbi bonum semen seminaverat, Zizania germinare conspicit.* Ergo si sperabat Virgo Christum resurrecturum, & mortem devicturum dolor non fuit infidelitatis, vel dubitationis, sed merè compassionis, & afflictionis propter tormenta à Christo filio suo patienda, & sufferenda. *Liranus in Lucam. cap. 2.*

Aperuit hanc veritatem Beata Virgo Sanctæ Birgittæ, docuitque fuisse de sui Filij resurrectione penitus certam, affirmans non consuisse linteum quo corpus eius erat involutum eo quod omnino credebat illud in Sepulcro non fore incinerandum. Verba revelationis formalia sunt. *Sciebam enim procerto quod non in tumulo putresceret.* Hoc idem Rex David testatur in Psalmo: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, quem Divus Augustinus exponens: *neque* (inquit) *Sanctificatum corpus, per quod, & alij Sanctificandi sunt, corrumpi patieris.* Idemquè scribens ad Honoratum tradit: Si ergo certa fuit Virgo Beata de resurrectione Filij sui, quomodo in passione sua dolor infidelitatis vel dubietatis animam suam pertransire poterat? *Lib. Revelation. cap. 21.* *Psalm. 15.* *Super Psalmū 15. cap. 120.*

Eximijs verbis hoc idem docuit Dionisius Richelius dicens: *Sapientissima, & constantissima Virgo, quæ Filij sui passionem, passionisque modum clarè,* *Lib. 3. de præconio & dignitate Virginis cap. 23.*

&

& distinctè præcognovit, magis quam David, Isaias Daniel, aut aliquis Prophetarum, in passione ipsius nullatenus dubitavit, imò fidelissima mansit: Ideo Patrum verba exponentur non de dubitatione infidelitatis, sed admirationis, naturalisque pietatis, qua quis de veritate aliqua omnino certissimus miratur, & per modum dubitationis stupet, seu discutit qualiter res ita se possit habere.

In lamentatio. Virginis.

Sequitur Sanctus Ephrem qui solum de amoris, & doloris gladio hoc vaticinum esse intelligendũ prę ter innumeras Sanctorum Patrum sententias, his ex corde verbis præclarè monstrat. *Stans* (inquit) *apud crucem purissima Virgo, Salvatorem, quem in lignum suspensum suspiciens, plagas reputans, intuens, & clavos, querellas, colaphos, ac flagellationem, cum gravibus suspirijs, cum fletu ingenti, cum lamentis dolorossisimis exclamavit dicens. Mi fili dulcissime, dilectissimè fili quomodo crucem sustines? Mi fili, & mi Deus quomodo sputa, clavos, & lanceam, quomodo pateris alapas, risus, iniuriam, spineam coronam purpuream vestem, spongiam, arundinem, fel, & acetum? quomodo pendes in cruce denudatus, mi fili, qui Cœlum nubibus, contegis? quomodo sit infers, qui es opifex, quique mare, & omnes aquas creasti? quomodo moreris insons in medio scelestorum, quid nam comissisti, qua in re fili mihi Hebræos offendisti? & cur ergo te isti simul iniqui ingrati cruci suffigũt, quorũ claudos, & per multos valetudinarios Sanasti, mortuos vivificasti tu verò quomodo niteris fili mi dulcissime, magnanime Deus? deficio te suspiciens in ligno suspensum, conclavatum plagisque plenum, mi fili. Vbi nunc pulcritudo*

tudo tua? Vbi tuus modo decor? Sol lumen suum obscuravit: & alius factus est; Splendida Luna in tenebras evanuit, petræ sunt perfractæ? & monumenta aperta, templique velum in duo est discissum; creaturæ conditorem suum; & opificem cognoverunt: & hi perversi, ac miseri Hebræi aures obstruxerunt, oculos clauserunt, ne solem vnquam occidentem suspectarent fili mi. O Simeon admirandu, en nunc gladius, quo mihi prædixisti cor meum traijciendum; Ecce gladius, Ecce vulnus fili, & Deus mi. Tua mors meum cor subijt, viscera mea sunt disrrupta, meum lumen obtenebratum est, & pectus meum gravis pertransivit gladius. Horrendam cerno passionem tuam fili mi, & Deus meus: video immeritam cædem tuam, nec opera ferre possum. Lugete mecum omnes Discipuli Domini dolorem meum, & vulnus profundum cordis mei contuentes. Simm. s. de l'. aliamp.

Per varias assimilationes dolorem Virginis Sancti Patres, & sacri Scriptores depingere curant, sed verè qualis esset, nec mens humana comprehendere valet, nec ratio explicare.

Ioannes Damascenus, vt acerbitatem eius explicaret, dolores partus reservasse in passione filij sui Beatam Virginem affirmat, id est, quos aliæ mulieres sustinent in partu. *Ipsa Beata* (inquit) *& super naturam donorum digna effecta dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit; ex materna compassione viscerum lacerum reparturiens; & quem Deum per nativitatem agnovit, illum vt maleficum interfectum videns, tanquam gladio cogitationibus discerpitur: & hoc est tuam ipsius animam pertransivit gladius, quemadmodum* *Lib. 4. fidei orthodoxe cap. 15.*

ille

ille prædixerat Dei expectator, Simeon, Dominum gestans in vlnis.

Divus Ildefonsus, plusquam martyrem appellat Beatam Virginem tam propter amorem quam compassionem, & dolorem passionis filij sui *candidior inter Martyres* (inquit) *quia, & si illo martyrio coronati de albarunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni, nihilominus hæc Beata, & venerabilis Virgo candidior dignè prædicatur, eo quod si corpora martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, teste Domino, comprobatur: ait enim Simeon, vel Dominus ad eam, & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quod si gladius vsque ad animam pervenit, quando ad crucem stetit, fugientibus Apostolis, cum videret Dominum pendentem, etiam plusquam Martyr fuit, quid in animo non minus amoris, quam mæroris est intus gladio vulnerata, parata enim stetit si non de esset manus percussoris.*

Serm. 2. de V. assump.

Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Damasceni, & Ildefonsi sententias colligens, dolores Virginis ita describit. *Sed nec aliqua mulier* (inquit) *habuit vnquam tantum dolorem in partu, nec aliquis Matyr tantum dolorem sensit in suis tormentis, quantum experta est Beata Maria in passione dilectissimi filij. Non Petrus in crucifixione sui. Non Laurentius in craticula combustus. Non Blasius pectinibus ferreis dilaceratus. Non Iacobus per singula membra intercissus, nec alius. Vndè dicit Beatus Hieronymus, Plusquam Martyr fuit, & aureolam martyrij super omnes clariorem recepit. Ratio immensitatis huius doloris eius hinc trahitur. Dolor*

4. p. Summ. tt. 15. cap. 36. §. 1

Dolor fundatur in amore, quãto enim quis plus amat aliquam rem, vel personam tanto magis dolet de eius amissione, vel lesione, quod patet per experientiam rerum Magistram.

Sophronius etiam plusquam martyrem fuisse pulchris demonstrat rationibus. *Alij namque Sancti* (inquit) *& si passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt, Beata verò Dei genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideo, vt ita fatear, quia spiritualiter, & caro eius passa est gladio passionis Christi, plusquam Martyr fuit: vnde constat quia plus omnibus dilexerit, propterea, & plus doluit, in tantum vt animam eius totam pertransiret, & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis. Quæ quia mente passa est plusquam Martyr fuit, nimirum quod dilectio eius amplius fortis, quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.* Serm. de Assũ. Beata Virgine

Vndè legitimè infertur gladium Virginis eius animam ex Simeonis dictu pertransiturum ideo fuisse doloris quia & amoris, tantumque animam eius vulnerasse, quantum Filium suum ex corde dilexisset. Illumque ita fortiter pati tanta vidisset, & tandem manibus inimicorum obijsse. Doluit etiam ad instar Patriarchæ illius Iacob, qui de morte quam æstimavit Filio suo Ioseph evenisse, valdè doluit propter bonitatem eius, adeo vt cæteri Filij congregati ad consolandum eum vix lenirent dolorem eius, & licèt certum sit quod Pater, & Mater plus dolet de morte Filij cum vnum tantum habet, quam si multos haberet, & Beata Virgo naturaliter valdè diligebat Christum Filium suum, tum quia vnicum, tum Genes. 37. vers. 35.

quia totum aſſumptum corpus erat ex ſe, Patrem ibi non habebat, vt quia Patrem non habuit terrenum, & ideo ſtrictius amabat, & de amiſsione magis dolebat, tum quia innocens, & optimus Filius erat, & tamen morte acerbiſsima, & ignominioſa inter latrones condemnatus erat, & ideo pertranſivit gladius doloris, & amoris animam eius.

Et licèt gladio ſcandali, & ambiguitatis quando ob Crucem, & mortem Domini offendiculum paſſi imbecilles Apoſtoli, percuſsi ceciderunt Magiſtrum deſerentes, non de hoc gladio Simeon annũtiat, ſed de gladio tribulationis ſive doloris atquè compaſsionis, qui hominis quamlibet iuſti animam vulnerat, ſuoque modo pertranſit, ac penetrat. At verò ſcandali, dubitationis, & infidelitatis gladius nullo modo animam Virginis potuit penetrare, nec ferire, quia cum Beata Virgo nunquam peccaſſet venialiter, vt cum Sancto Auguſtino communis Sanctorum tenet ſententia; quod poſtea de fide difinivit Sacrum Generale, & œcumenicum Concilium Tridentinum: ergo omne incredulitatis, aut ſcandali veſtigium à Deipara Virgine Maria omnino relegandum eſt? cum hoc ſine offendiculo fidei ſuſtineri non poſsit, ac per conſequens ſine peccato; nã dubius in fide, infidelis dicitur, & peccator. *Verè* hoc rectè docet.

Lib. de Natura & gratia cap. 35.

Seſ. 6. can. 23.

Cap. dubius de Hæreticis.

Illa erudita Arborei Laudunenſis ſententia, ita pro fide Virginis in paſsione Filij ſui, tenens. *Alij hoc* (inquit) *gladio exprimunt ſcandalum, quo offenſa fuit Mater in cruciatu Filij ſui: videns enim Chriſtum Crucifixum fortaſsis cogitavit, quomodo quĩ natus eſt ſine ſemine, & innumera edidit ſigna, quæ*

In caput. 2. Lucæ.

nemo,

nemo alius fecit cedit morti, & permittit se tot convitijs affici? Sed istis nugacissimis somnijs non possum non reclamare. Nam Virgo Maria plena Spiritu, gratia, & sapientia, & quæ arcana sui filij mysteria ad salutem omnium spectantia abunde intellexit, nunquam animo vacillavit, nunquam mente hæsitavit, nunquam ingenio titubavit; sed agnovit Filium suum debere sua passione adimplere scripturas. Divulgato autem huiusce Crucis tormento detectæ sunt multorum cogitationes. Nam apparuit proditor; apparuerunt, qui Christum singulari amore dilexerunt; vt Ioseph, & Nicodemus, & Sanctissimæ mulieres, quæ humanitatis obsequia Christo præstiterunt. Adde quod manifestæ sunt illorum cogitationes, qui hac cruce in audita scandilizati fuerant, verum sublato scandalo ad sanam fidei mentem redierunt.



CAPVT VII.

BEATAM VIRGINEM IN triduo mortis Filij sui de resurrectione non dubitasse (contra Lutherum) probatur.



IMpius Lutherus aduersus Beatam Virginem non parum infestus, nō contentus alijs, istud circa eius fidē retorquet telum. *Fieri potest* (inquit) *vt Matri suæ dum se gestabat in vtero, & dum peperit, magnam fidem donarit, & postea nunquàm vel raro tantam, imò etiam, vt eius fidem identidem passus sit nutare; vti ei vsu venit, quando triduo eum amiserat*: ita ille vt ille.

Credit Lutherus quod si prima obiectio retundi possit secunda non ita facile; fallitur planè, & plenè imò obcæcata mens sua præceps ruit in deliria magna, & sine luminis radio rationis contrarius sibi ipsi tot, quot verba profert, blasfemias è suo infecto, & indurato corde euomit.

Quæ maior cæcitas vt sibi persuadeat (iste miser) Deiparam Virginem Mariam post partum, fidem non integram, & perfectam habuisse vt antea, & in triduo mortis Filij sui in fide vacillasse.

Et licèt in re ita clara, frustanea, & inanis videa-

tur.

tur quælibet probatio, & contrarium evidentissimis rationibus clarum demonstretur, & in capite antecedenti fusius tractatum reperiatur, nihilominus huius veritatis assertum hic etiam exponemus.

Primò rationibus ita convincimus. Nam si Virgo Beata gestans vterum, & partus sui tempore habuit integram, & perfectam fidem (vt ipsemet Lutherus concedit) quomodo non in omni vita sua eandem servavit? imò præcisè confitendum venit, & sine dubio credendum, Beatam Virginem in ea fide tanto magis profecisse, quanto pluribus, & maioribus confirmandæ fidei argumentis abundaret. Non ne in scripturis sacris manifestæ sunt confessiones Zachariæ, Simeonis, & Annæ? non ne Pastorum, & Magorum adventus? non multoquè plura contigere mysteria circa Infantem natum, quę in fide Beatam Matrem maximè poterant roborare? quæ omnia Virgo sancta conservabat in corde suo, viva, & ardenti fide prædita, vt Evangelista Lucas testatur? cur ergo postea in fide defecisse credendum, Lutherus rationis capaci persuadere nititur?

Lucæ 1. & 2.
Matthæi 2.
Proverb. 31.
Matthæi 27.
Lucæ 2.

Secundò: ex Evangelio nihil tale colligitur, nec prodijt, quod è suo cerebro nunc primum effingit Lutherus, scilicet, illam magnam, & illustrem fidem, quæ ab initio Mariæ donata est, successu temporis, & præsertim à partu illo sanctissimo decrevisse, sed hoc potius consentaneum esse monstrat veræ fidei laudem, quam in Deipara prædicavit Elisabetha, salvam illi semper, incolumemque mansisse; vt sicut gratia, sic etiam fide plena, præsertim postquam Dei Mater facta est, fœlicissimè perseveraret.

De laudibus Virginis.

Tertiò, minus in triduo mortis Filij sui defecisse,

in fide existimandum venit, nec sine erroris, & blasphemiæ nota dicendũ est, imò contrarium patet, & ratio est clara, nam Deipara Virgo Maria sciebat quomodo portaverat Filium suum in vtero sine labore, & pepererat sine dolore, & ideo certa erat, quòd Filius Dei esse, & à mortuis tertia die resurgere debebat, nam licèt istud contra naturalem cursum sit non minus illud quod etiam ipsa antea perpessa, & experta erat, facileque creditu redditũ ex eo, quòd secretorum divinorum non minor custos, quam fide observatrix fuit.

In extinguibilem lampadem Beatam Virginem aliqui Sanctorum appellant, quia eius fides ita ardens fuit vt nullo in tempore defecisse videretur, de qua intelligi debet istud Proverb. *Non extinguetur in*

Proverb. 31. *nocte lucerna eius* per noctem significatur tempus passionis, & mortis Christi, quando iuxta Matthæũ:

Matthai. 27. *Tenebræ factæ sunt super vniversam terram.* Lucerna est fides Virginis, & vera lucerna, & divinissima quæ omnes mortales illuminat, ac prorsus in extinguibilis, quia nullo tentationis vento, nullo adversitatis flatu extingui potuit; vndè Sanctus Emphrem Syrus, sic Mariam alloquitur. *Thuribulum*

De laudibus Virginis. *aureum, lucerna clarissima, tabula scriptam legem mortalibus afferens, arca vera, charta divinissima.*

Ignorasse affectat Lutherus quàm sublimis fuit in hoc triduo fides Mariæ, cum intrepide affirmet in eo fidem amisisse, pauca legit, quando tot Sanctorum, & scriptorum communis sentẽtia teneat diem hunc Sabbati (præter aliàs causas) ea fuisse consecratum Beatę Virgini, cum Domino crucifixo, & mortuo, & Discipulis fugientibus, & de resurrectio-

ne

ne desperantibus in ea sola totã fidem in Sabbatho illo remansisse. Huius assertionis principalis est Author Divus Bernardus cuius verba sunt. *Passionis tempore omnes, relicto eo, fugerant; sola illa, quæ Benedicta est in mulieribus, per illud triste Sabbathum stetit in Fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola, propter quod gratissima Sancta Ecclesia, laudem, & gloriam eiusdem Virginis diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit.* Cui etiam adhæret Divus Bonaventura in illis verbis. *Quoniam Discipulis dubitantibus, in Virgine remansit fides Ecclesiæ solida, & inconcussa.* Vndè Divus Antoninus docuit hanc Mariæ Virginis fidem in triduo mortis Filij sui significari per lucernam, quæ in matutino tridui, & hæbdomadæ sanctæ accensa reservatur; cum tamen reliqua omnia extincta sint; quia fides Mariæ nunquam defecit, nec extincta fuit ideoque quando Mariæ Mulieres Dominica resurrectionis ad monumentum accesserunt, Beata Virgo non accessit; quia credebat, & expectabat Filium suum resurrecturum, hocque firma mente tenebat; audiatur Sanctus Antoninus, qui præclare his verbis hoc totum docet, & affirmat. *Prima enim rectitudo mentis est vera fides, fundamentum virtutum. Tempore quidem passionis omnes Apostoli, & Discipuli Christi, qui prius stabant fide elevati ad Christum credendum non solum verum hominem; sed & verum Deum; vndè Petrus pro omnibus dixerat. Tu es Christus Filius Dei vivi, omnes prostrati sunt in infidelitatem. Et sicut cum captus fuit Christus in horto, a Iudæis omnes corpore ab eo fugerunt (vt dicunt Evangelistæ) ita, & mente credentes quidem*

Lib. de passione Dñi. cap. 2.

3. distinct. q. 3. ad 2.

4. p. summæ tit. 15, cap. 41. §. 1.

Matthæi, 16.

eum.

eum esse verum hominem sanctum, & iustum virum Prophetam in opere, & sermone: sed non verum Deum cernentes passionem eius tam ignominiosam. Quamvis enim Petrus & Ioannes post fugam reversi sint ad eundum post Magistrum captum, Petrus tamen sequebatur eum à longe ne agnosceretur vt discipulus: quinimo, & ipsum cum iuramento negavit se non esse. Ioannes, & si vsque ad crucem secutus, iuxta crucem stabat corpore, à longe tamen mente, nec ipse agnoscens divinitatem. Sola Beata Virgo stabat fide elevata, & fixa de eius divinitate expectans indubiè suam tertia die resurrectionem: vt merito dicatur maris stella à stando, & lumen fidei mundo naufrago retinendo. In huius signum triduano officio Dominicæ passionis cum quindecim candelæ accensæ firmentur ante altare, paulatim, & successivè omnes extinguuntur. Sola vna accensa absconditur quæ post officium omnibus profertur ad illuminandum. Quindecim candelæ accensæ designant duodecim Apostolos, & tres Marias Magdalene, Salome, & Alphei: quæ præ cæteris cum Apostolis videbantur fide illustratæ, & firmatæ. Sed in illo triduo omnes extincti sunt lumine fidei Deitatis Christi solum in Virgine remansit lumen fidei occultum, quod postea omnibus patefactum est ad omnes suo exemplo illuminandum: & hinc est quod non accessit manè Dominica suæ resurrectionis ad monumentum cum præfatis Marijs; non quia minus arderet amore ad Filium: sed quia expectabat eum resuscitatum se esse visuram ante omnes; & ideò non quærebat viventem cum mortuis vt illæ. Ita de Fide Mariæ in illo triduo, ait. Fidē habuit in excellentissimo, quę

tam

tam immensæ rei sibi promissæ fidem adhibuit, quæ etiam Discipulis dubitantibus, non dubitavit, quæ omnia possibilia esse credenti, certissima fuit.

Idem præstat Sanctus Vicentius Ferrarius, vt ex referendis constabit verbis. *Nam pro certo habetur & ostenditur satis clarè ex textu quod tempore passionis Christi perdiderunt fidem ipsius omnes Apostoli, & Discipuli, aliqui totaliter, aliqui dubitando, an esset verus Deus, & Messias, licèt omnes reputarent eum Sanctissimum Prophetam, sola Virgo Maria illo Sabbatho Sancto invariabiliter credidit propter hoc obtinuit, vt quolibet Sabbatho fiat officium de ea in Ecclesia Dei.*

Audiatur Devotus, & Doctus Pater Petrus Canisius Societatis Iesu in profligandis, & confutandis Hæreticis adversus honorem Deiparæ Virginis Mariæ exortis, apprimè dexter, meritoquè malleus Hæreticorum vocatus, sic in casu sentiens. *Quid illa in Fide constantius, atquè firmius excogitari potest, quæ nutantibus Fidei columnis, hoc est fugientibus Apostolis, à Christi laterè, imò cruce non potuit dimoveri? Passi sunt in Domino scandalum amicissimi quique, illa dumtaxat excepta, quæ stare in fide propè crucem potuit, quãtumvis præacutus ille gladius à Simeone prædictus cor eius tenerrimum, atque mæstissimum penetraret. Cecidit Iudas nefarius proditor, qui extremam desperationem cum scelere summo coniunxit. Cecidit Petrus à mentis statu, & firmitatē deiectus, adeoquè mortis metu debilitatus vt Christum Dominum semel, & iterum ac tertiò abnegaret. De Paulo dicere supersedeo, qui ignorantia obcæcatus, adeoquè incredulitate seductus, ac* Lib. 4. de Maria Deipara cap. 2.

 blas-

blasphemus, etiam Christo maledixit, & à cruenta cæde piorum, ac Innocentium hominum se se non abstinuit. Non cecidit Maria, sed vsquè invicta perstitit, quam divinæ lucis adeò illustravit fulgor, vt in fide neque erraret, nec hæsitaret, quam præterea singularis gratiæ virtus corroboravit infantem, provexit puellam, armavit adolescentulam, ac deinceps in omni vita sic instruxit, vt à cuiusvis peccati labè libera atque omni culpa vacans Sanctos omnes puritate, & Sanctimonia longe multumquè superaret.

Huius sententiæ plures sunt asseclæ, & præter alios Molanus, Guillermus Durandus, Pater Ioannes à Cartagena, cuius licèt assertio distinctione procedat; iuxta Divi Bernardi authoritatem, cum dicat existimasse quod cum Ecclesia sit quædam congregatio fidelium, nulla ratione possit persistere in vna sola persona, vt recte annotavit Dominus Cardinalis Bellarminus controversia de Concilijs, & Ecclesia lib. 3. cap. 17. & deinde ex Evangelio habeamus, quod quamuis Petrus defecerit in confessione fidei ter Christum abnegans, interna tamen fides in eo perseveravit iuxta Christi Domini promissionem, *ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua*; id circo, vt allata ratio, quod die Sabbathi in sola Virgine remanserit fides, vera sit, oportet vt intelligatur de fide explicita resurrectionis Christi in particulari hæc enim in sola Virgine tunc fuit, non vero in Apostolis, nam licèt Christus eis prædixisset explicitè suam mortem, & resurrectionem, Divus tamen Lucas ait, *non intelligebant quæ dicebantur*, & Ioannes cap. 20. *Nondum sciebant scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere;*

Lib. de picturis cap. 39. Ration. Divin. offic. lib. 4. ca. 1. n. 32. In Mariali to. 4. lib. 17. hom. 10.

Ex

Ex quibus inquit dictus Cartagena. *Scio præcitata verba Divi Bernardi, sed non possum veritati refragari*, Sed meo videri, sine distinctione prolata sententia Divi Bernardi tenet; quia licèt de rigore Ecclesia intelligatur (iuxta Bellarmini sensum) congregatio fidelium, sicque in vno rigorosè subsistere, nec prædicari valeat, si tempus requiramus, tunc in triduo illo Ecclesiam in omnibus non esse fundatam reperiemus, nam post Christi resurrectionem Sacramento complementum recepere, & post adventũ Spiritus Sancti Apostoli in gratia fuerunt confirmati, sicque in illo triduo Ecclesia non dum erat in totum fundata, & plenè absoluta, itaque Divus Bernardus licèt de Ecclesia loquatur non rigurosè, sed rethorico modo locutum fuisse non abs re affirmari poterit partem pro toto accipiendo, præcipuè cum membrorum Ecclesiæ, scilicèt, fidelium pars principalior sit Beata Virgo, in qua illa propositio satis verificata remanet.

Tutum ergo iudicare debemus iuxta Tostati sententiam in triduo illo fidem explicitam de Christi Resurrectione in sola Virgine remansisse, at vero implicitam vel in Apostolis, vel in alijs Christianis in totum non defecisse multa vrgent ad id credendum, & in primis quo ad Apostolos, nam licèt Dominus dixerit illis. *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*: non hoc de desertione fidei debet intelligi; sed de desertione personali, & fuga illorum in illa nocte, quod potius ex timore, & animi pusillanimitate provenire valuit, quam de vacillatione, & deliberata dubietate fidei, sicque non præcisse includit dessertionem fidei, sed cum il-

In præf. in Evãgelio Matthæi q. 14.

Matthæi 26.

la existere valet, & de sola vacilatione debet intelligi textus ille, vt optime Gersonius adnotat *dubitaverunt tamen* (inquit) *& vacillaverunt in hora Dominicæ passionis.*

Serm. de quatuor domibus.


Neque in omni passionis tempore omnes Apostoli, Discipuli Domini, & alij Christiani dubij in fide perstitere. Nam licèt Petrus negavit Dominum, post pusillum flevit amare, & maculam criminis lacrimis, & cordis compunctione lavit & fidelissimus postea extitit, ita vt decens, & conveniens erat Ecclesiæ Sanctæ Patri, & primo Pastori, & vitam pro confessione fidei Neronis tempore, & imperio martyrio commutavit. Ioannes Apostolus, & Evangelista licèt cum alijs fugæ se dedisset in captura Magistri sui, scimus postea in cruce cum Maria Matre Iesu firmũ, & constantẽ in fide adstasse, meruisseque filiationem tantæ Matris ab ipso Christo Domino, & Magistro suo in cruce pendenti accipere, Maria Magdalena non minus inhæsit cruci corpore quam fide, & mente plorans crucifixionem Magistri sui, & postea venit in monumentum sola mane cum adhuc tenebræ essent; latro confessus est pendens in patibulo Christum Dominum, fidem habens posse se, & illum salvare, & in regnum suum mittere. Discipuli Domini Iosephus ab Arimathia, & Nicodemus, primus discipulus occultus propter metum Iudæorum, petijt à Pilato Corpus Domini; alius nocte venit ad Iesum, & post eius mortem ad sepeliendum eius corpus mixturam Myrrhæ, & Aloes quasi libras centum tulit. Nonne videtur in vtroquè tempore passionis, & mortis Christi Domini non omnes saltim implicitam fidem perdidisse, explicitam ve-

ro.

ro de Resurrectione Christi Domini in triduo illo nõ nisi Beatam Virginem retinuisse etiam cum relatis Sanctorum Patrum sententijs securius affirmare valemus.

CAPVT VIII.

BEATAM MARIAM IN ILlis verbis salutationis Angelicæ Quomodo fiet istud? *in Fide non defecisse, nec dubitasse, contra Lutherum, & alios defenditur.*



Æretici, Leonardus Culmanus, Spangenbergius, Sarcerius, Georgius maior, & Georgius Amilius cum duce, & Magistro suo Martino Luthero, ita infesti, & Deiparæ Virgini oppositi in omnibus se exhibent, vt vix sacrilega sua vox ad aliquid boni proferendum in veritatis laudem, & Virginis Mariæ honorem se acommodet, & tam indignè sentiunt, stulitèrque & improbè loquuntur, vt pudeat etiam ad defensionẽ tantæ Virginis eorũ deliria proferre: ait insanus Lutherus (quem iuxta eumdem sensum paucis interpositis verbis cæteri sequũtur) *An putatis Mariam nullam impressionem in corde-*

In postilla circa Evang. Annunciat.

corde suo sentisset? nequaquam. Ipsa profectò in se incredulitatis sensum quemdam, & insultum habuit; alioquin non interrogasset, ac dixisset: quomodo erit istud? quandoquidem virum non agnosco, Quare, & Angelus cum ea blandule agit, peramicè loquitur, & eam fulcit.

Hoc idem quod de infelici Eva de verbis divinis ex Sathanica suggestione dubitante actum geritur Genesis cap. 3. isti Antemarianitæ Virgini Beatę conferre satagunt, & exęquare innocentissimam Mariam peccatrici Evæ non erubescunt, cum scire debuissent istam secundam Evam ideo fuisse natam, vt per illam sanctificaretur vniversum vnguento boni odoris sui, & deleretur peccati occasio trāsmutando in lætitiam primæ parentis execrationem, vt verbis Andreæ Cretensis vtamur. Sic autem, & Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ; quod enim alligavit Virgo Eva per incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidē iuxta Divi Irenæi sententiam; nam mors per Evam vita per Mariam, vt Hieronymus docet; cui adhærens Innocentius 3. sic ait: *Oportebat vt sicut per fœminam mors intravit in orbem, ita per fœminam vita rediret in orbem, & ideo quod damnavit Eva, saluavit Maria, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Vnde Divus Bernardus, Evam monet, vt ad salutis perditæ restaurationem ad Mariam recurrat dicens. *Curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa oprobrium matris auferat; ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam.*

Orat. 1. de dormit. Virg.

Adversus Hæreses cap. 33.

Epist. ad Eustoch.

Serm. 2. de Assump.

Hom. 2. de lau. Virg.

Clare

Clare probatum restat quam dissimilis sit, vtriusquè causa Evæ, & Mariæ, vt in aliquo comparari debeant, minusquè si attente perscrutemur Mariæ fidē quam incomparabiliter in ea observanda omnes excelluit sed nunc cum istorum cæcorum duce Luthero sit noster sermo, miramur in primis Sancti Patris Augustini sententiam circa Mariæ fidem (si aliquando attentè legit opera istius magni doctoris) tam penitius esset oblitus; cum magis hic magnus Pater exaltet Filij sui conceptionem in mente quàm in corpore, hocquè non semel, sed pluries scriptis suis firmavit *Beatior* (inquit) *fuit Maria percipiendo fidem Christi; quam concipiendo carnem Christi*. & alibi: *Sancta Maria plena fide, plena gratia dicitur, quæ fecerit voluntatem Patris, inde fœlix quia Verbum Dei custodivit, per quod facta est, & quod in illa caro factum est*. Sed si rectè loquamur non miramur, nam consequens erat, vt qui non sentiebat à Patre recederet, reliquit Ecclesiæ lumen, & in tenebras confusionis, & maledictionis incidit. *Lib. de Sanctà Virginit. cap. 3. & 5.*

Si cupiunt miser iste, ceteriquè eius sectatores viderè quàm ingens, præviaquè fuit Mariæ Virginis fides in filij sui conceptione, vt dubitationis caliginē, quàm illi intrepide impingunt, à mente sua relegēt? addant Divum Bernardum de Maria iam Deum ante adventum Archangeli concipiente ita altissimè proloquentem. *Missus ergo Angelus Gabriel à Deo etiam antequàm ad Virginem perveniret, invenit Deum Virginis illapsum visceribus, & maiestatem Dei Virginalis ventris brevitate conclusam, O venter diffusior Cœlis, terrisque amplior, capacior elementis, qui totum claudit omnia con-* *Serm. 3. de navitit. Domini*

cludentem, in quo Deus gloriæ reclinatur. Denique Archangelus non ait. Ave Maria replenda, sed plena. Non Dominus veniet in te, sed Dominus tecum: quia inde totam eam sibi rapuerat Spiritus Sanctus, & Cælestibus insignierat ornamentis. Quomodo ergo Beata Virgo iam plena gratia, & Dominus cum illa superni promissi iuxta Angelicũ sermonẽ dubia aliquo modo existere poterat? cum dubitatio in credulitatem supponat, incredulitas in fide defectionẽ defectio imperfectionem, & culpam, quod omnino plenitudini gratiæ, quæ in Maria affluebat, obsistit, & repugnat. Et si plenam gratia, & Dominum cum illa (vt ipse Angelus in principio legationis suæ apertè prædicat) certo scimus, quomodo tam cito, & statim post eodem loco, atque colloquio; tam leviter ab hac ipsa laude descivit Virgo Benedicta, vt in fide tam turpiter fluctuaret? contrarium apertius demonstratur, & venit credendum, & sub tali Magistro Archangelo Gabriele nihil indocibilitatis, nec ruditatis in Virgine Maria inveniri potuisse, vt fide imbecillis existimari posset.

Et si interrogandi modus aliquam videatur dubitandi speciem dedisse quando Virgo Beata dixit. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* nec dubitationem de promisso, & minus incredulitatem (vt Lutherus supponit) concedere fas est, imò ex eisdem verbis magnam Virginis fidem deduci monstrabitur. Hoc principium ab omnibus est receptum quod Maria Virgo in illis verbis. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* nec dubitavit de facto, nec dubitavit de modo, sed solum de modo quæsivisse, clarius omnibus hoc ita Sanctus

Lucæ. 1.

Ber-

Bernardus exponit, *Mariam Fide confirmatam hic non dubitasse de facto, sed modum requisivisse, & ordinem: & idcirco non quærere, an fiet istud? Sed quomodo? Quasi dicat: cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse Ancillæ suæ, non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, fiat istud?* *Hom. 4 super Missus est.*

Consonat authoritas Divi Ambrosij, quia ita describit. *Non Fidem renuit, non officium refutavit, sed accommodavit affectum, spopondit obsequium. Etenim cum dixit: Quomodo fiet istud? Non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectus.* *In cap. 1. Lucæ.*

His accedit Venerabilis Beda, ita hæc explicans verba. *Non ait* (inquit) *quomodo hoc sciam, sed quomodo fiet, inquit, ordinem videlicet, cui subdatur inquirens, non autem signum, cui credat flagitans. Neque enim decebat electam generando Deo Virginem dubiam diffidentia, sed prudentia cautam existere.* *In explicatione Lucæ, cap. 1.*

Sic cętera Sanctorum, & Scriptorum copia vnanimiter sentit, quorũ esset in infinitum sigillatim singulares eorum authoritates referre.

Sed quæret aliquis, cur Virgo interrogat, si de facto, vel modo non dubitat?

Cui plenissimè satisfaciendum venit plurimis rationibus. Prima: authoritate Divi Augustini asserentis quæstiones per, *Quomodo*, ex intentione esse discernendas; exemplum habemus in Domino, qui docendi causa interragavit. *Quomodo Dominus David esset Filius David?* Et non dubitabat, *quomodo*: *Math 22.* Capharnaitę autem, sicut in nostris temporibus Cal-

Ioannes 6. viniſtæ, interrogant. *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Non credentes Deo modum eſſe, quo rem de qua quærunt, perficiat. Sic ergo Maria Virgo interrogavit; ſed credens futurum quod Angelus dixit, ac modum tantum ſcire cupiens, quo res tanta fieret: præſertim quia eius intererat, eo quod id cùm voto Virginalis continentiæ, quòd emiſerat pugnare videretur.

Secunda: quia non omnis quæſtio eſt propter dubitationem, Dominus enim in Evangelio ſæpè, & plura quæſivit; & tamen de nullo vnquam dubitavit; & apud Matthæum *Ioannes cùm audiſſet in vinculis opera Christi, &c.* Gloſa Chryſoſtomi dicit: quod non propter ſe, propter Diſcipulos quæſivit. — Matthæi 11.

Aſsimile videtur, quod etiam Beata Virgo quæſivit, non ſibi, ſed nobis, ita eleganter expoſuit Albertus Magnus, dicens: *Quæſtionem autem, quàm Beatiſsima Virgo Angelo fecit, propter ipſius dubitationem non fecit, ſed propter materiæ pleniorem deſcriptionem, propter veritatis maiorem expreſſionem, propter errorum dubitationem; opinionum excluſionem, & propter noſtram ædificationem.* — In Mariali, cap. 260.

Tertia: quia quàmvis Beata Virgo, vt Prophetarum ſtudioſiſsima legerat, quòd vaticinatus erat Eſaias. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*; atquè ideo futurum credidit; ſed quomodo fieret, ante non legerat, vt docet Divus Ambroſius. Poſtea cùm plenius didiciſſet, quemadmodum Virgo apud Eſaiam promiſſa Emanuelem ſine virili conſortio eſſet editura, Myſterio credidit, quòd illi Deus non — Eſai. 7. — cap. 1. Lucæ.

per

per hominem, sed per Archangelum voluit revelare. (Tantum enim Mysterium non hominis fuit, sed Angeli ore promendum) nec Esaiæ quidem Prophetę revelatum, vt idem Ambrosius narrat, quemadmodum scilicet Virgo generaret Maria, id primùm audivit, & credidit. Credentis autem vox illa præclarissima fuit. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*, & illa: *Fecit mihi magna, qui potens est*. Sed de modo sciscitatur, vt quantocius divinam mentem adimplere valeret; ita Eusebius Emissenus per doctè, & luculenter difficultati satisfacit, & respondet. *Non dubitat fieri* (inquit) *quòd Angelus fieri promittit; interrogat tantum, quomodo fiet? Quoniam quamvis Virginem aliquando parituram audierat, dicit enim Esaias: ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, quomodo tamen pariet non dicit: quia igitur Virgo est, & virum non cognoscit, quomodo pariat, & Virgo maneat, interrogat, quia nulli adhuc revelatum erat.*

vbi supra.

Lucæ.1.

Serm. 4. ante Domin. secundũ Adventus.

Dicendum ergo venit, quòd Beatissima Virgo prudentissima, & fidelissima, nec de facto, nec de modo dubitavit, sed de modo scire cupiens, interrogasse.

Neque obstat, si obijciatur hanc annuntiationem esse figuratam ab alijs, in quibus planè constat de promissis fuisse dubitatum. Annuntiatio de Isaac fuit figura istius annuntiationis, sed ibi Sara risit, & dubitavit. Abraham dixit. *Tantum Ismael vivat coram te*; & videtur simul dubitasse. Zacharias dubitavit, quæ annuntiatio etiam istius fuit figura, ergo videtur, quòd similiter deberet esse in figurato, &

Genes. 17.

Lucæ 1.

quod in ista annuntiatione debeat etiam dari dubitatio.

Glossa super Lucam. Satisfacit Divus Ambrosius obiectioni, in Glossa super Lucam, dicens: *Cùm Sara risit de promissione Dei, & videtur quòd dixerit: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Cur non fuit muta sicut Zacharias? Sed Sara, & Maria non dubitarunt faciendum, quòd promittitur, sed modum requirunt.*

Serm. 242. Divus Chrysologus Rabenatis Episcopus hanc dubitationem, vt moris habet Magistraliter, & eruditè persolvit. *Ecce Maria* (inquit) *interrogat, & si qui interrogat dubitat, cur solus Zacharias velut querulus percontator incurrit? Quia pectorum conditor non verba, sed corda pervidit. Erat enim, interrogantium causa dissimilis, species perdivissa. Hæc contra naturam credidit, ille dubitat pro natura. Hæc integrè rei ordinem quærit, ille quæ Deus iubet fieri non posse præscribit. Ille impellentibus exemplis non accedit ad fidem, hæc sine exemplo percurrit ad Fidem.*

Et ad maiorem huius dissimilitudis rationis intelligentiam in Zacharia, ac in Virgine; observandum venit quòd licèt Zachariæ promissus sit Filius naturæ via licèt obstet sterilitatis, & senectutis impedimentum, iam illud pluries in Sarra, & Samuelis Matre, & alijs mulieribus, noscebatur superatum. Vidit etiam Angelum à dextris altaris incensi, qui promissum in visione confirmabat; videbatquè, & intelligebat Zacharias huius promissionis aliàs circunstancias quæ culpabilem reddebant eius dubitationem. At Virgini Mariæ enuntiabatur

tur Mysterium omnem mentis captum, & naturæ ordinem superans,& excedens,res ita ardua,& sine exemplo, huc vsquè visa, vt de illa Ecclesia Sancta canat; *nec similem visa est, nec habere sequentem.* Etiam obstabat obedientia Deo præstita voto Virginitatis,sicquè humillimè,& prudentialiter interrogat,quomodo fiet? *In Officio Nativitatis Dñi.*

Eandem distinctionem inter Mariæ, & Zachariæ Fidem Divus Augustinus amplexus est, hocquè pacto distinguit. *Zacharias quando ait. Vndè hoc sciam? Vel per quid hoc cognoscam, qui sum adeo cùm vxore senex? Desperando dixit,non inquirendo. Maria verò cùm interrogat: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Inquirendo dixit, non desperando. Propterea illi(Zachariæ) dicitur. Tacebis,quia non credis. Huic verò causa exponitur,quia dum interrogaret, non de promissione dubitavit.* *Lib.16. de Civit.Dei, cap. 24.*

Sanctus Ambrosius etiam Mariam defendit, & Fidei imbecillitatem in solo Zacharia ponit. *In Maria* (inquit) *iam de negotio tractat: Zacharias adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere,qui negat se scire, & quasi Fidei adhuc quærit alium Authorem. Ita se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fieri possit inquirit.* *In Lucã, cap.1.*

Et cùm Mariæ sermo non sit diffidentis, sed carnis iudicio,& rationi dumtaxat humanæ obsequentis, propterea illa ab exemplo quidem Zachariæ prorsus dissidet, nullam vt mereatur reprehensionem, sicut ille, cui propterea velut male fido, nimiumquè rudi Discipulo Magister Gabriel diutur-

Lucæ 1. ni silentij mulctam irrogavit. *Pro eo* (inquit) *quod non credidisti verbis meis, ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Quanto autem prudentior, circunspectior, laudabiliorquè Maria existimanda est, quæ nihil, aut temerè dicere, aut in tanto negotio improvide facere voluit, ne omnino quicquam in divina lege, & voluntate perficienda negligere videretur? Exemplumquè Beata Virgo in hoc facto non minimum nobis relinquens, quæ non tantum cogebatur interrogare, vt iniectum conscientiæ suæ scrupulum explicaret, animiquè sui tranquillitati consuleret; sed nos tacitè admonens piæ solicitudinis, quàm ad Dei voluntatem, tùm exactè cognoscendam, tùm sedulò præstandam ad ferre debeamus.

Et licèt in figuris dubitatio præcessit; quicquid enim in figuris bubitationis præcessit, vel imperfectionis: in hoc istud figuratum figuras excellit; quia figura istud figuratum per omnia, & in omnibus exprimere sufficiens fuit extra id quod dissimilis in hac ac illis versatur ratio, vt ex præcedentibus clarius apparet.

Aliam viam sequitur Absolonius Abbas in quodam de Beata Virgine Sermone, ita verba prædicta: *Quomodo fiet istud?* Explicans: *Beata Maria Virgo* (inquit) *hæc verba dubitando non protulit, sed rei magnitudinem admirando;* hunc etiam contemplandi modum forte Iob habuit, cùm dixit: *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea:* & suspendium eligere est secretis cœlestibus per admirationem inhærere; & hæc est optima pars Mariæ, quæ nec in futura vita auferetur ab ea, tunc verò fit, dum inefabilia Dei Mysteria, quæ animus hu-

Serm. 43. in Assumpt. Beatæ Mariæ.

Iob 7.

humanus ratione non valet comprehendere, supra se facta intuetur, & retractat devota admiratione, quale est quòd manens Virgo Filium peperit, quòd Verbum Dei carnem assumpsit, quòd immortalis est mortuus; quòd temporalis factus est æternus, & huiusmodi, quę rationi magis sunt admiranda, quàm perspicua. Admirationem etiam, & non dubitationem confitetur Divus Thomas cum de hac interrogatione Virginis ad Angelicam salutationem loquitur, ibi: *Et ideo probationem Angelus inducit, non ad auferendam infidelitatem, sed magis ad removendam admirationem.* 3 p.q.30.art. 4.ad 2.

Si ad alia Evangelici contextus verba recurramus, clarius apparebit huius Virginis Matris firma, & indeficiens Fides pro crudelitate tanti Mysterij: nec in aliquo illi inimicorum virus officere posse. Quid de Beata Virgine in hac Angelica salutatione; vel loqui, vel cogitasse narratur? Tria solum (si rectè advertamus) Primum; quòd cùm salutasset Angelus, & Virgo audisset: *Turbata esset in sermone eius, & cogitasset qualis esset illa salutatio.* Secundum; post promissionem conceptus, & stabilitatis Regni Filij sui: *Quomodo fiet istud, quoniam virũ non cognosco?* Tertium; post explanationem modus conceptionis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.*

Nunc percontari licet ex his tribus, ex quo Fidei imbecillitas probari, vel præsumi potest? Ex nullo si Christianè, & Catholicè velit attendi. Ex primis verbis duo solum deducuntur: turbatio, & cogitatio: *Turbatio*, qua se humilem respiciens Virgo, tanta de se audiebat Angelum narrantem, etiam quia

cum forma humana iuxta se colloquentem videbat; proprium Virginum sit, hominum affatus cavere, & vt inquit Divus Ambrosius: *Virgo quasi viri specie mota, trepidavit. Cogitatio?* Quia mirabatur quomodo benedicta diceretur, quia vt inqvit Bernardus. *Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit: Deniquè vsquè adeo fidit gratiæ, & non altum sapit, vt salutationem Angelicam vereatur, Maria* (inquit) *cogitabat qualis esset ista salutatio.* Et si his aliqua dubietatis ratio inhæreret nō Angelus Virgini diceret, *ne timeas Maria*: Sed ne dubites Maria. Sed cùm solùm ille iustus, & Sanctus timor accederet, solùm de illo Angelus loquitur.

Lib. 1. in Lucā.

Serm. in Nativitati Virg.

De secundis verbis. Quomodo fiet istud? Iam latè incredulitatem, vel dubietatem promissi ab eis semotam, & alienam fuisse monstravimus.

In vltimis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum* non relinquitur ambigēdi locus cùm ea ipsa verba præstitū consensum Virginis indicent, quem si dubitaret, vel non rectè Mysterium crederet, non præstaret.

Parum prodesset inconcussam Fidem Mariæ in Angelico annuntio probare; si non emerita facta, & virtutē Fidei exercitam in Mysterio hoc non probaremus; siquidem ibi per maximè Beatæ Virginis Fides illuxit.

Mysteriorum Fidei præcipua, & principaliora fundamenta ex Gabrielis Archangeli Deiparæ Virgini Maria legatione, & Christi Domini Incarnatione, apud Evangelistam Lucam narratorum, manifestè patent, & ex Virginis obedientia satis evin-

Lucæ 1.

evincitur quantum Fidei in illorum credulitate impendisset, eaquè indubitanter credidisset. Et si magis illum credidisse intelligatur, qui maiora, difficiliora, & ipsi naturæ opposita credidit? Quid dicendum venit de Beata Virgine, quæ tot Mysteria in hac salutatione proposita sine hæsitatione, credidit? Dubitandum nō est in hac eadem legatione ab Angelo præcipua Religionis Christianæ fundamenta esse memorata, & Beatæ Virgini exposita quibus libenter acquievit.

Primum: esse Patrem Æternum: *secundum*, esse principium, sine principio ab alijs Sanctissimæ Trinitatis Personis, nempè Filio, & Spiritu Sancto. *Tertium*: Patrem Æternum habere Filium: *Quartum*: Filium (vt Patrem) esse Deum: *Quintum*: Quòd in hac Incarnatione in qua totæ Sanctissimæ Trinitatis Personæ Divinæ operantur, solum, secunda, quæ est Filius, carnem assumebat, & quòd cùm esset Deus non omittens Deitatem, simul cùm illa iungebat humanitatem: *Sextum*: Quòd Filius, secunda Santissimæ Trinitatis Person a, carnem ex suis visceribus acc ipiebat, nomenquè eius esse magnum, & admirabile; nempè, *Iesus*, quòd est Salvator, quia à peccatis populum suum liberavit. *Septimum*: Quòd Filiu s, qui ex suis visceribus nasceretur, Filius Altissimi vocabitur, quia licèt verè Filius suus sit, non relinquet Dei naturalem filiationem: *Octavum*: Qu òd idem Filius suus, & Filius Dei, est verus Messias, pro missus in lege, & à Prophetis, & Patriarchis desideratus, & quicquid promissum est Davidi Regi impletum esse in illa, & illo. *Nonum*: Quòd Elisabeth cognata sua conceperat Filium in senectute sua, quia

non erat impossibile apud Deum omne Verbũ. Et sic de alijs Arcanis, & recõditis Mysterijs, quæ tantę Matri revelata fuerãt, firmiter; & in cõcusè credidit.

Quomodo ergo credendum venit, vt quę tanta, & naturali rationi opposita Mysteria credidit, & de nullis Angelum interrogavit, in sola illa interrogatione dubitasset? Nam licèt primaria verba. *Quomodo fiet istud?* Ad omne revelatum, & ab Angelo annuntiatum referri possent, Ex sequẽtibus. *Quoniam virum non cognosco*, Demonstratur solum ad generationem respexisse, non ad alia in legatione dicta, & contenta; sicquè dicendũ venit, quòd sicut in cæteris firmiter Virgo Beata credidit, sic etiã in facto, & modo suæ Conceptionis ab Angelo prænuntiato.

Et ex eisdem verbis quibus contrarij adversus Deiparam dubitationis sensum eliciunt, si benè attendamus firmior in Mariæ eloquio Fides agnoscitur. Quid dicit Angelus? *Ecce concipies, & paries Filium, &c.* Quid respondit Maria: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Communis Sanctorum Patrum sententia est; Beatam Virginem dum esset in Templo primam omnium Virginitatis suæ votum Deo vovisse; ita tenent Ildephonsus Serm. 5. de Assumpt. Mariæ, Beda lib. 1. in Lucam, cap. 3. Ioannes Hierosolymitanus lib. de institutione Monachorum, cap. 34. Rupertus lib. 3. in Cantica: Honorius libro de æternis Gaudiis: Bernardus Sermone 4. de Assumptione: Ambrosius libro de Institutione Virginis, cap. 5. Hieronymus Epist. 74. ad Pammachium, & alij quam plurimi. Nunc ergo, sic liceat ratiocinari: Si ergo votum vovit Virginitatis suæ (vt pro comperto habemus) cur solum de præ-

ſenti Angelo loquitur dicens: *Quoniam virum non cognoſco?* Non de futuro promittit, dicens: *Quoniam virum non cognoſcam?* Cùm indubitatum ſit in Beata Virgine ſervandæ Virginitatis in futurum in dubiam mentem ſemper extitiſſe. Sed hoc ita factum meo videri Myſterio non caret, & non minimè Mariæ Fidem commendat. Non loquitur Virgo de futuro, ſed de præſenti, primo vt oſtendat Angelo voti ſui emiſsionem, ſciſcitans modum quo ſine clauſtri ſui Virginei læſione hoc fieret. Secundò, vt pateret ſua in Deum ingens ſumiſsio, & diligens obedientia, ex qua Fidei ſuæ ſublimitas magis, ac magis agnoſceretur: nam ſi diceret; *Quoniam virum non cognoſcam;* aliquam propriam in ſe oſtenderet voluntatem, quæ ſuæ humilitati, & ſubiectioni ſe opponeret, neſciens adhuc modum quem ab Angelo requirebat, Angeliquè legationi parvam Fidem adhibere videretur; ſicquè quamvis mente ſua ſervandæ Virginitatis inconcuſa voluntas permanebat hoc Angelo pandere noluit, Fidei magis quàm voto facto primatum concedens, hocquè totum ita Deo conſecrans, vt à ſua liberalitate, & ſumma Providentia, ſolùm id quòd magis illi placuiſſet ſperaret.

Paſſu quo in Incarnatione Verbi patrata fuere altiſsima, & infinita Myſteria; per Beatam Virginem noſcimus, quam plurimas in excellentiori, & ſublimiori gradu ex cultas fuiſſe virtutes.

In primis: *Modeſtiam, & honeſtatem*, vt teſtatur Evangeliſta Lucas: *Quæ cùm audiſſet turbata eſt in ſermone eius.* Duplici ex cauſa hoc contigiſſe creditur: Prima, quia vidit Angelum in humana forma ſalutantem, vt præter alios Sanctos Patres, refert *Luca 1.*

Serm. de Assumptione Mariæ.

fert Laurentius Iustinianus, ibi: *Lætus Paranimphus effectus pro officio, exhilaratus pro gratia pro obsequio expeditus, insolito fulgore vestitus, in humana effigie descendit ad Virginem*; & consequens erat, & tantæ Virgini proprium, vt illico pudoris signum, facies illa Beata, & Benedicta demonstraret, & à princio legationis servandę Virginitatis impedimentum reseraret, dicens:

Lucæ vbi supr.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Humilitatem; ex contextu Angelici sermonis deducemus, nam cùm plenam gratia, & Dominum esse cum illa, benedictamquè inter mulieres prædicet Angelus, non effertur, nec superbit Virgo; imò sciens se ad Dei Maternitatis dignitatem evocatam, Ancillam humilem esse profitetur; de qua humilitate mirans Ambrosius in hæc prolabitur verba:

In Lucam, cap. 16. in medio.

Vidè devotionem Ancillam se dicit Domini, quę Mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Cui accedit Bernardus melliflue de hac humilitate loquens.

Serm. 4. de Assumptione circa medium.

Quanta verò (inquit Bernardus) *& quàm pretiosa humilitatis virtus, cùm tanta puritate, cùm innocentia tanta, cùm conscientia prorsus absquè delicto, imò cùm tantæ gratiæ plenitudine? Vndè tibi humilitas, ò Beata! Digna planè quàm respiceret Dominus; cuius decorem concupisceret Rex, cuius odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus à traheretur accubitu.*

Prudentiæ virtutem in maximo habuit; quærens in re ita gravi Mysterijs, & Sacramentis plena, quomodo illud quod annuntiabatur fieret, vt mature, & cùm consilio responderet, & quod ad se pertinere poterat rectè perficeret; & sic interrogat; Quo-

Quomodo fiet istud? Et teste eodem Ambrosio: *Maria salutationem Angeli verebatur, erat cogitans cùm verecundia, quia pavebat cùm prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nunquam electa est, nusquam ante comperta; soli Mariæ hæc salutatio servabatur.* *Luca vbi supr. lib. 2. in Lucã.*

Fortitudinis, & magnanimitatis virtutem obser vavit, se tantis difficultatibus, & periculis, quæ menti suæ offerebantur (vt servato Virginitatis pudore Conceptio ab Angelo prænuntiata sequeretur) humiliter, & propriam voluntatem, & mentem Deo suo subijciendo; paucis in verbis hoc idem declarat Simeon Metaphrastes, ibi: *Audi puram vocem Virginis; Angelus partum annuntiat, & illa adhæret Virginitati, & nequè potest Angelo non credere, nec discedit ab his quæ statuerat. Est mihi* (inquit) *prohibita cùm viro consuetudo: quomodo erit mihi hoc quoniam virum non cognosco?* *Orat. de vita, & dormit. Maria.*

Obedientiam, summa perfectione servavit, ita vt ad præstandũ consensum de Incarnatione Æterni Verbi, non dignitate iusta, nec alia vlla ratione, sed Divinam voluntatem aspiciens, sine hæsitatione illam in se impleri secundum Angeli annuntium desiderat, & postulat in illis verbis: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum.* Quòd contemplans Divus Bernardus factum Virginis, & eius summam obedientiam Angelico dicto, his miris verbis extollit: *Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo, quasi dicat, cùm sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse Ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? si oportuerit me frangere votum, vt pa-* *Luca vbi supr.* *Homil. 4 super Missus est.*

riam

riam talem Filium, & gaudeo de Filio, & doleo de proposito; fiat tamen voluntas tua: sin verò Virgo concipiam, Virgo & pariam, quòd vtiquè si placuerit ei impossibile non erit, tunc scio verè, quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.

Charitate erga proximos, ex consensu præstito in hoc Mysterio, valdè profuisse Beatam Virginem, mundo perdito, exclamat Divus Augustinus gratias pro tanto beneficio huic magnæ Dominæ, & Reginæ nostræ rependens. *O Virgo Maria* (inquit) *quis dignè tibi valeat iura gratiarum, & laudum præconia impendere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito?*

Serm. de Nativitate Mariæ.

Pietatem, & amorem apud Deum exercuit, & excoluit, cùm voto Virginitatis adstricta, non respiciens multorum censuram, vt in constans notaretur, & Castissimo suo Sponso Ioseph fidelissimo suæ Virginitatis testi ansam præberet, vt de illa posset dubitare, quòd mulieribus honoratis durius morte solet existimari, consensum præbuit Dei voluntati, vt eleganter, & piè notavit Sanctus Bernardinus. *Virgo Beata* (inquit) *consentiens in sui gravidationem exposuit se confusioni, sibi horribilius plusquam quodcumquè aliud genus confusionis, & mortis.*

Tom. 3. Ser. 6.

Fidem etiam observasse, & vt præviam virtutem obtinuisse, ipsa Evangelica pagina supponit, nam cõsensui præcessit Fides, & si non crederet ita facturum, vt Angelus nuntiabat, consensum, & voluntatem non accomodaret, dicens: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum.* Vndè rectè arguit Divus Augustinus prius cõcepisse Beatam Virgi-

Lucæ 1.

Lib. de S. Virgi. cap. 3. & 5.

ginem mentę quam ventre. Et Anselmus Fidem Mariæ: *Portam per quàm intravit Iesus*, vocat, cui accedens Laurentius Iustinianus: *Decebat prorsus*(inquit)*vt virtutum vniversarum varietate decorata, quæ de Cœlo suscepit Verbum; Fide conciperet Filium.* *In cap.10.Lucæ.* *Serm. de Nativitate Virgin.*

Iam videmus quantum Beata Virgo in hoc Incarnationis Verbi Mysterio virtutes omnes exercuit(vt de singulis retulimus)sed restat nunc videndum, ex qua illarum maior Beatæ Virgini laus, & honor accrescat, vt Themati nostro satisfaciamus. Et vt clarior inimicorum Virginis, eiusque Fidem perpetuam, & indeficientem denegantium, vel minuentium cœcitas pateat; apertius demonstrabitur, in Fide Mariæ (quàm illi miserrimi labefactant) maiorem tantæ Matris Beatitudinem consistere; quàm plurimæ Sanctorum Patrum authoritates ad id probandum afferri possent; sed pro omnibus sit Spiritus Sancti testimonium ex ore Beatæ Elisabeth, ita Prophetice proclamantis: *Beata quæ credidisti, perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* *Lucæ 1.* Nonne in sublimi gradu, Modestiæ, Honestatis, Humilitatis, Prudentiæ, Fortitudinis, Magnanimitatis, Obedientiæ, Charitatis, Pietatis, & Amoris erga Deum, Virtutes Beata Virgo excoluit; & aprime observavit? Cur ergo de istis non laudat, sed solùm de Fide? imò suæ Beatitudinis à Fidei virtute initium sumpsisse clarè, & aperte docet, dicens: *Beata quæ credidisti*. Merito hanc solam, vt principaliorem virtutem Spiritus Sanctus laudat, quia Fides fuit basis, & fundamentum huius structuræ, & ędificij non manu hominum facti,

sed

sed Dei consilio, & Spiritus Sancti operatione fabricari Fide præambulante, consensu sequente, & desiderato gentibus adveniente, audiatur Augustinus huius festinationis exitum laudans. *Noli morari Virgo, nuntio festinanter responde Verbum, & suscipe Filium, da Fidem, & senti virtutem*: *Ecce*, inquit; *Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum. Nec mora, vertitur nuntius, & Virginalem thalamū ingreditur Christus. Efficitur subito prægnans Beata Dei Genitrix, & cuncta per sæcula prædicatur Felix concepit: mox Divinitatem Verbi, virilis ignara consilij*. Obmutescant rabidi hostes, videant se in clarioribus cęcutire, & caliginare, nec vnquam de tanta Virgine minimam reportare posse victoriam.

Serm. 2. de Annuntiatione.

Etiam salutem ex inimicis portare poteramus cū planè ex novatoribus quidam suam Mariæ Fidem tribunt, & excusant contra collegas maledicos, vt sunt Brentius, ibi: *Hæc non sunt verba incredulitatis qualia fuerunt Zachariæ, sed sunt verba, quæ proficiscuntur ex admiratione Fidei: Non enim dubitat Maria de certitudine Verbi Dei, quòd ex Angelo audierat, sed dubitat de modo, quò promissa implenda sunt*: Et alibi: *Vt hæc verba non sunt incredulitatis, ita nec sunt curiositatis, sed potiùs necessitatis, vt videlicèt Maria pudicitiæ suæ obseruātissima discat, quid sui officij sit, quid agendum, vt promissus Filius in vtero ipsius concipiatur; ita ille*. Et à Bucero, Pellicano, Bullingero, & alijs eiusdem qualitatis socijs causa Beatę Virginis hoc loco defensatur.

Hom. 6. in cap. 1. Lucæ.

In Evang. Annuntiat. Virg.

Sed non egemus similibus authoritatibus ad ex-

præ-

presionem, & probationem tãtæ veritatis, nec illam in ore Hæreticorum, & suspectorum hominum quærimus; nam confessionem Petri, quàm relevatam à suo Patre Christus Dominus confessus est, & in quà tantum sibi cõplacuisse demonstravit, ab spiritu maligno, & immundo audire noluit, & obmutescere illi præcepit. Obmutescant Hæretici, & Catholicis, & Sanctis Patribus credant, qui lumine Fidei, & Sancti Spiritus illustratione edocti, doctrinam sanam, & firmam, nobis reliquerunt; indignumquè semper æstimetur Mariæ Fidem in dubium revocare, ac illam infidelitatis accusare, vt faciunt novatores; & audiamus Petrũ Canisium adversus istos garrulos, & procaces impietatum architectos, ita loquentem. *Quid igitur sibi volunt hi novi Theologastri? Tanta enim rei indignitas me, nec tacere, nec mitiorem, nec breviorem esse permisit. Ergo ne quam generationes omnes in omni Ecclesia Beatã, & Fide Beatam prædicant, quęquè primam sincerę Fidei laudẽ in Evangelio consecuta est, eam ipsam generatio hæc prava, & adultera Fide spoliabit, ac exuet, vt primum etiã iustitiæ, ac fœlicitatis gradum, qui Fide cõparatur, Mariæ aliquando defuisse credamus? Hoc certè novum est planè paradoxum, quòd plurimis alÿs nuper excogitatis, si velint novatores per nos quidem adiungant: hanc purioris scilicèt doctrinæ partem sibi suisquè Discipulis retineant; ideoquè pro expresso Dei Verbo venditent. Nequè sic tamen efficient, Christo benè propitio, vt de perfectâ Mariæ Fide, vel male suspicandi, vel aliqua ex parte dubitandi locum reliquum faciant Orthodoxis.*

Luca 4.

Lib. 4. de Maria Deipara, cap. 1.

CAPVT. IX.

CHRISTVM DOMINVM à Beata Virgine, & eius Sponso Ioseph, Deum, & hominem creditum, veneratum, & adoratum fuisse, (contra Erasmum, & Nestorium) manifestis documentis comprobatur.

Lib. 4. de Maria Deipara, cap. 2.



RASMVS (qui vt rectè advertit Canisius sæpè lutherizat, & ego adderem, Nestorizat) cùm Dei Maternitatem auferre Virgini Beatæ curat, sibi nõ liquere scribit, Christus ne Deus esset, nec ne, vtrum Matri Domini in pueritia, & infantia Filij perfectè fuerit revelatum, sic ille: *Nusquam profectò legimus Christum, vel à Matre, vel à Ioseph fuisse adoratum pro Deo, cùm esset Infans.*

Mirari in primis non debemus Divinitatis Christi hostem subdolè quærere; quo Evangelij loco probari Deiparam Christum Filium suum, vt Deum adorasse, & exigere à nobis scripturæ testimonium,

quan-

quando ille tot spernat, & sine scripturis temerè multa doceat.

Sed licèt opus non sit Evangelicis litteris ea disertè narrari, quæ tum ex antecedentibus, tùm ex consequentibus, vtcumquè colligere non erat difficile, si non ita voluntariè se omnibus Catholicis veritatibus, tàm vltro se opponerent Hæretici; nihilominus afferentur sacræ Paginæ clara testimonia, quibus evincantur inimici, & nos instruamur ad credendum Beatam Virginem Filium suum Deum verum agnovisse, & adorasse.

Et dato (& non concesso) quòd non esset locus in scriptura sacra expressus, quò id probari posset, non rectè ex eo arguit Erasmus Virginem Filium suum, Dei Filium non novisse, nequè adorasse; nam etiam multa signa, & miracula Christum Filium suum fecisse scribitur, quæ non scripta in divinis litteris reperiuntur., & non ex eo facta fuisse denegatur; sic Ioannes Evangelista iterato testatur. *Ioann. 20. vers. 30.* *Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc*; & alibi. *Ioann. 21. vers. 25.* *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Hocquè de factis eius Virginis Matris dicere valebat, sed contrarium apertissimis documentis demonstrare curabimus.

Sit in primis Evangelistæ Lucæ testimonium, in quo Angelus Gabriel in salutatione ita Mariam affatur. *Luca 1.* *Ideoquè, & quòd nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hanc eamdem confessionem etiam cùm adstaret Filio suo in Cruce pendenti post

eius mortem à Centurione prolatam audivit, cùm
Matthæi 27. vers. 54. dixit. *Verè Filius Dei erat iste*. Hanc etiam de Cœlo allatam vocem audierant cùm baptizato
Matthæi 3. vers. 17. Iesu à Ioanne confestim, vt ascendit de aqua aperti sunt Cœli, & Spiritus Dei descendens sicut Columba, & veniens super illum; vox de Cœlis dixit: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacuit*. De hac etiam confessione Patris testatur
2. Petri. 1. vers. 17. Divus Petrus, vt testis oculatus, dicens: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed Speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de Cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte Sancto.* Benè hæc probant Filium Dei, Filium suum fuisse, Virginem Beatam nosse? Ignoraret ergo Filium Dei, esse Deum? Minimè? Ex ipsa Angeli annuntiatione poterat deducere, quando aliàs non ex revelationibus, & sacrarum lectione scripturarum id consequeretur. Quid expressius, & clarius Ange-
Lucæ 1. lus manifestare potuit, cùm dixit: *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* Non est hæc illa visio Danielis Prophetæ quatuor Bestiarum, quatuor designantium Regna, & ex antiquo dierum, & Throno eius, ac Ministris quo iudicante perierunt Bestiæ; & adhunc accedens Filius hominis accipit potestatem æternam, & incor-

ruptibile Regnum? Sic enim ait. *Et dedit ei po-* *Daniel. 7.*
testatem, & honorem, & Regnum, & omnes Populi, *vers. 14.*
tribus, & linguæ ipsi servient: potestas eius potestas
æterna, quæ non auferetur: & Regnum eius quod *vers. 27.*
nõ corrumpetur, & infra Regnum autem, & potestas
& magnitudo Regni, quæ est subter omne Cælum,
detur populo Sanctorum Altissimi: cuius Regnum
Regnum sempiternum est, & omnes Reges servient
ei, & obedient.

Hoc idem Prophetavit Michæas, & voce Domini hæc loquitur. *In illa die dicit Dominus congregabo claudicantem, & eam quàm eieceram, colligam; & quam afflexeram & ponam claudicãtem in reliquias. Et eam quæ laboraverat, in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in Monte Sion ex hoc nunc, & usquè in æternum.* Quis nisi Deus Regnum habere potest, quòd æterum sit? Sicuti de illo Angelus non habere finem, promittit, & atestatur; clarè ergo videtur Beatam Virginem Filium suum, verum Deum nosse; quæro ergo, ignoravit Maria, quòd Ioannes scivit? Nequaquam? Imò ab illa Fidei nostræ occultiora, & mirabiliora Mysteria didicit; quid iste dicit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est.* Quid clarius Filium Virginis, Deum esse, & Filium Dei, caro esse factum, nonne iste Scripturæ Sacræ locus est expressus, & litteralis; quid conqueritur Erasmus, non invenisse locum ita probantem? Sed descendamus ad alios, qui non minimè suragantur.

Michea 4. vers. 7.

Ioann. 1.

Post Salutationem Angelicam mox Beata Virgo

pro-

profecta est cùm festinatione in montanam Regionē in Civitatem Iudà, vt Elisabeth congratularetur, quo vt pervenit, intravit Domum Zachariæ, & salutavit illam; audita salutatione Infans in vtero Elisabeth exultavit, & illa repleta Spiritu Sancto exclamans ait. *Benedicta tu inter Mulierès, & benedictus fructus ventris tui, & vndè hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Matrem Domini sui, Beatam Virginem Elisabeth appellat; Dominus suus non est alius, nisi Deus suus; *Deus* Dominus per sæpè nominatur: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.* Et cùm Angelus Mariam salutasset, Dominum esse cùm illa, affirmat, erat verè tota Sanctissima Trinitas cùm Beata Virgine, Dominus Pater, Dominus Filius, & Dominus Spiritus Sanctus. Pater erat cùm illa tamquam Sponsus, cum qua matrimonium per verba de præsenti contraxit, quando illa respondit ad Angelum, & cor direxit in Deum, dicens: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*; Filius erat cùm ea, tamquam Filius eius, ex eius vtero nasciturus iuxta illud Angeli. *Ideo quòd nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Vltimo Spiritus erat cùm illa, tamquam in suo Templo; secundum illud. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vndè patet, quòd rationabiliter dixit Angelus ei. *Dominus tecum*: Idest magis tecum quàm mecum, aut cùm quacumquè alia creatura: quia nullius creaturæ, nequè etiam Angelorum est hoc privilegium, vt sit Sponsa Patris, Mater Filij, & Templum Spiritus Sancti operantis Filij Dei Incarnationem. *Nusquam enim Angelos appre-*

Lucæ 1.

Psal. 109.

Lucæ 1.

Hebr. 2.

apprehendit, *sed semen Abrahæ apprehendit*, vt Divus Paulus docet; hanc personarum distinctionem, Divinitatis, & Deitatis vnitatem, Beata Virgo non ignorabat; sed magis illam manifestavit, & ostendit, cùm gratias agens, illud canticum magnificat concinens; ita ait: *Magnificat anima mea Dominum*; quibus verbis gratias toti Sanctissimæ Trinitati refert cùm in hoc Verbo, *Dominum*, totæ tres Personæ comprehendantur; postea descendit ad Deum Filium suum iam in vtero suo comprehensum, & incarnatum, & exaltabunda, & laudans, letitiæ suæ signa non parva nobis relinquens, ita ait. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*; quæ verba indubitanter designant, & præmostrant pro Deo Filio suo esse prolata *Deo*, quia Deus est verus, de Deo vero; *salutari*; quia Filius est salutare nostrum, vt iustus, & senex Simeon cùm in vlnas suas accepit Christum Filium Dei, & Mariæ, vt presentaretur in Templo, & dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum Verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum Meo*; quia licèt Christus Filius Mariæ sit omnium salutare, specialius, & Mariæ, vt Filius suus, nonne videmus non solũ notã esse Beatæ Virgini Filij sui divinitatẽ, & Deitatẽ, sed expressè illã confessam fuisse, vt ex hoc loco colligitur? Distinctionẽ faciens inter Deum Patrem, & Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum? Nescio quomodo Erasmus locum quærat, cùm quod petit, intus habeat, credo etiam cognitionem habuisse de quo quærit, sed se non invenisse narrat, vt malitiæ suæ plenius satisfaciat.

Sup-

Supposito ergo, quòd Beata Virgo Filium suum Deum credidit, & agnovit, restat nunc videre an vt talem veneraretur, & adoraret, vt Erasmo in omnibus respondeamus, eiusquè asseclis, & licèt ex antecedenti, consequens certum deducatur, & præmissa cognitione Deitatis adorationem præcisè subsecutam credere debeamus; hoc etiam multis etiam testimonijs, ita factum fuisse demonstratur. Testimonium in primis est Ecclesiæ, ita asseverantis, ibi: *Quem Virgo Concepit, Virgo peperit, Virgo post partum, quem genuit adoravit.* Hoc idem revelatum fuit Beatæ Birgittæ ab eadem Virgine Maria, vt ex suis revelationibus constat quibus tanta Fides, & credulitas ab omnibus vniformiter confertur, ibi: *Cùm igitur Virgo sensit se iam peperisse, statim inclinato capite, & iunctis manibus, cùm magna honestate, & reverentia, adoravit puerum, & dixit illi. Benè veneris Deus meus, Dominus meus, & Filius meus.* Hanc adorationem etiam Beatum Ioseph puero Iesu impendisse hæc eadem revelatio declarat verba post pauca, ibi: *His igitur completis intravit senex, & posternens se ad terram genibus flexis adorando eum, plorabat prægaudio. Tunc autem surrexit illa habens puerum vlnis suis, & simul ambo, scilicèt ipsa, & Ioseph posuerunt eum in præsepio, & flexis genibus adorabant eum cùm gaudio immenso, & lætitia.*

Ecclesia in resp. 1. & 2. noct. Eterni festivit. Purificat. Beatæ Mariæ.

Lib. 7. revel. cap. 21.

Postea Pastores Bethlehemum intrantes invenerunt Mariam Virginem, & Iosephum, & Infantem positum in præsepio, quem postquam hilari vultu pro voluntate conspexerunt, ac venerati sunt, re ipsa

Lucæ 2.

ipsa probaverunt verum fuisse Angelorum sermonem de puero, illumque palam fecerunt Mariæ, & Iosepho, cæterisque, quos obvios habebant retulerunt, & omnes, qui audierunt admirati sunt. Maria autem omnia, quæ geri videbat, tacita conservabat conferens in corde suo. Reversi itaque sunt Pastores ad ovile suum laudantes, & glorificantes Deum, quod ea omnia, quæ audierant, ita se habuisse probaverant, quemadmodum dicta illis fuerant ab Angelis.

Reges Magi Hierosolimam ingredientes, dicunt vbi est ille: *qui natus est Rex Iudęorum? vidimus* Matthęi cap. 2. *enim stellam eius in Oriente, & venimus vt adoremus eum*, & stella duce progressi sunt vsque ad locum vbi erat Dominus natus, & speluncam ingressi, invenerunt puerum in Marię Matris eius gremio iacentem, & prostrati adoraverunt illum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham, & in somnis admoniti ne reverterentur ad Herodem per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Simeon Senex cum quò erat Spiritus Sanctus, vir iustus, & timoratus, qui expectabat consolationem Israel responsum accepit à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Qui veniens in spiritu in Templum, cùm inducerent puerum Iesum Parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, dicens: *Nunc dimitis servum tuum Domine, secundum Verbum* Lucæ 2. *tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quòd parasti ante faciem omnum Populo-*

 rum.

rum. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam
Lucæ 2. vers. 33. *plebis tuæ Israel.* Et vt inquit Sanctus Lucas. *Erant Pater eius, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.*

Anna Prophetissa, Filia Phanuel de Tribu Asser, quæ in multam ætatem processerat; nàm cùm septem tantùm annis vixisset cùm viro suo à sua Virginitate, reliquum tempus vitæ, quòd octuaginta fermè annorum erat, vixerat in viduitate, non discedens de Templo, ieiunijs, & obsecrationibus serviens nocte, & die. Hæc ergo eadem hora, aut Spiritu Sancto afflata, aut Simeonis Verbis perceptis, supervenit, vicissim etiam collaudabat Dominum, & magnifice loquebatur de illo omnibus Hierosolymitis, qui expectabant redemptionem Israel.

Iam videmus, quanti (Beata Virgine præsente) Filium suum venerati, cùm summa humilitate, & devotione adoraverunt, quantaquè miracula circa eius Nativitatem, & Infantiam sunt gesta, quorum (vt Evangelistę narrant) Beata Virgo non erat otiosa spectatrix, & auscultatrix. Quomodo non adorasse Filium suum credendum esset? Cognitio Deitatis adfuit, amor Maternitatis impulit, devotió fervuit, & occasio capillum præbuit, tàm indocilis, & obtusa erat Virgo Beata cui hæc omnia nihil sufficerent ad faciendam Fidem de vtraquè Christi Filij sui natura, vt illum adoraret? In clarioribus magis cœcutire videtur Erasmus, quærens scripturæ locum, cùm plenè aliquis sit de hac materia agens, qui non hoc idem clarè demonstret. Multa sacra scriptura, vt scita, non memorat, sed supponit,

no-

nostrumquè etiam est afferere, quòd illa tacuit; ad quid ergo Mariam, & Iosephum puerum Iesum adorasse referre necessum habebat? Nonne, præcissum, & consequens erat, vt agnito illo pro Deo Salvatore suo, & nostro, ex animo, & puro corde ad adorationem tanti Filij compellerentur? Ecclesia Sancta Spiritu Sancto gubernata, ita prædicat, hoc pluries Sanctis Viris revelatum constat, & vniformiter à Sanctis Patribus docetur; totum hoc futile, & inane censendum, & respuendum, quia expressus litteralis Scripturæ Sacræ textus non adest? Nequaquam Resipiscat Erasmus, attente legat, & ruminet Scripturas Sacras, audiat Sanctorum Patrum testimonia, vt penitus squamas ab oculis revellat, & ne vbi cursus securus, pedibus offẽsionem ponat.

Divus Ambrosius perspicuè docet, Christum Dominum non solùm à Maria, sed etiam à Ioseph adoratum esse, quoniam ambo Deum verum esse in illo corpore confiterentur, de quo solùm dictum est. *Laudate eum Sol, & Luna: Laudate eum omnes stellæ, & lumen.* Repetit igitur, & illud, quòd Iacob Patriarcha Ioseph Filio; qui typus erat Christi, dixerat: *Num ego, & Mater, & Fratres tui adorabimus te super terram?* Hoc enim in Christi parentibus impletum fuit.

Psalmo.

Genesis 37.

Idem Ambrosius tantùm Fidei Mariæ largitur; vt dicat, illam etiam ante partum, anima, & Spiritu Patri Filioquè devotã, & vnũ Dominum, per quẽ omnia, pro affectu veneratam esse. Id quòd probat Verbis illis Cantici Mariæ. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salu-*

Luca 1.

tari meo. Quanto enim maior est prærrogativa Dei esse Matrem, tanto maiorem Fidem Mariæ reservari debuisse testatur.

Divus Augustinus hoc idem quòd Ecclesia Sancta tenet, & prædicat duplici in loco probat. *Fide prædita* (inquit) *eum quem portavit, timuit, & eumdem cùm pareret, adoravit.*

Serm. 13. de Nativitate Domini.

Bonaventura satis clarè idem docet. Maria ergo flexis genibus adoravit, & gratias agens Deo dixit: *Gratias tibi ago Domine Sancte Pater, qui Filium tuum mihi dedisti, & adorare te Deus æterne, & te Filium Dei vivi, & meum.*

In meditatione vitæ Christi, cap. 7.

Rupertus Abbas sic in persona Virginis loquitur: *Ego autē non vt cumquè habui, aut vidi, sed in vtero gestavi, & genui eum, & ei Mater lac præbui, & diligenter contemplata sum. Quid putatis, quòd noctes duxi pervigiles videndo, & audiendo eum? Nō sufficiebat dies ad tantum desiderium, sed totis noctibus in lectulo meo in cubiculo meo pervigil fovebam, & adorabam parvulum, audiebam, & adorabam iam adultum.*

In cap. 2. Cantic.

Sanctus Vincentius Ferrarius, sic Beatam Virginem Filium suum gloriosum venerantem, & adorántem describit: *Venit Christus, cùm omnibus Sanctis Patriarchis, & Angelis clarus, & gloriosus dicendo, Pax vobis; & Virgo flexis genibus, & præ gaudio lacrymando osculabatur Christi vulnera resplendentia, dicendo: O vulnera benedicta!*

Serm. de Natiuitate Beatæ Virgin.

Si fortè Erasmus Nestorianum virus sugens, ideo litteralem textum quærit, quia sibi, alijsquè suæ sententiæ socijs suasisè intendat adorationem la-

latriæ indebitam Christo fuisse, quia hæc solùm debetur Deo, non homini, vel creaturæ: Vndè, existimet Beatam Virginem, hanc Filio suo non impendisse; nec ea illum adorasse, non intempestivum erit etiam ad hanc obiectionem, licèt tacitam respondere, vt plenè omnibus satisfaciamus.

Nestorius cùm duas personas poneret in Christo, nolebat Christum fuisse adorandum latria, sed coadorandum cùm Deo, vt vestes coadorantur cùm Rege.

Huic errori iam pluries condemnato obsistit illa principalior ratio, quòd cùm Christus esset homo divina personalitate subsistens, præcisè veniebat adorandus adoratione Latriæ, Dei propria, sic tenet Sanctorum Patrum communis, & indubitata sententia; hanc etiam ex Scriptura Sacra manifestè comprobatam reperimus. Evangelista Ioannes iubet, vt omnes honorificemus Filium, sicut honorificamus Patrem, ibi: *Nequè enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum.* Ergo si Pater adoratur adoratione Latriæ, etiam Filius, quia eadem honoratione debet venerari, & coli Filius, ac Pater: iuxta Ioannis dictum. *Ioannes 5. vers. 22.*

Hoc idèm Paulus docet exponens illud Isaiæ 45. *Mihi curvabitur omne genu*, Loquens de Christo Domino ita ait. *Omnes enim stabimus ante Tribunal Christi scriptum est enim. Vivo ego dicit Dominus; quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua* *Ad Roman. 14. vers. 11.*

gua confitebitur Deo, & scribens ad Philippenses hoc iterum repetit. *In nomine Iesu omne genu flectatur.*

Ad Philip. 2. vers. 10.

Veritas hæc de fide est diffinita tam in Concilio generali Ephesino, quam Alexandrino, & Tridentino, & ratio est quia Filius Dei adoratur adoratione latriæ, quia est Deus, quare, cum id non amisserit ex eo, quod assumpsit carnem, debet etiam, vt incarnatus est, adorari latria. Christus homo propter vnionem cum verbo adorandus venit eàdem adoratione, qua adoratur persona divina, quia ex carne, & personalitate verbi fit vna persona composita, quę adoratur latria; vnde cum Athanasio, Leone, Chrisostomo, & Ambrosio, dixit Damascenus *Carnem nudam non adoramus, sed carnem Dei, id est, incarnatum verbum.*

Can. 8 in 5. sinodo coll. 8. can 9. & in 7. Synodo act 8. tom. 5 sesse. 6. com. 5. & cap. 6.

Orat. 5. contra Arrianos.
Serm. 5. de Ascentione.
Hom. 5. ad Hæbreos.
Lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 12.
Lib. 3. cap. 8.

Divus Augustinus humanitatem Christi propter Deitatem ea esse adoratione adorandam qua adoratur Deus, sequentibus explicat verbis *Nisi Christus esset Filius Dei non esset adorandus vt Deus, carnem Christi adorandam esse, quia est à Divinitate suscepta, ità vt non àlius, atque alius, sed vnus, & idem Deus, & homo adoretur.* Sicque Concilium Alexandrinum docet *Christi humanitatem adorandam esse propter Deitatem eàdem adoratione qua adoratur Deus.*

Sermo. 58. de verbis Domini.
Apud Cyrillũ Epist. 10.

Pius Canissius non solum hanc adorationem confessus, sed illam ab omnibus receptam testatus, mirum in modum Virginis gaudium de filio suo nato describit. *Non repetam* (inquit) *quæ alij circa Virgineum hoc puerperium sapienter expendunt, quàm submissè ac reverenter ancilla illa erga Dominum*

Lib. 4. de Maria Deipara, cap. 9.

ac

ac Redemptorem sese primum gesserit, vt pote quèm ipsa non minus quàm Pastores, & Magi, supplex venerata sit; quàm praeterea studiosè non sibi modo, sed Aeterno Patri, & genito iàm Filio sit gratulata, quòd sacratissimi mysterij administra, ac praeciosissimi Thesauri praecunctis alijs custos esset: tum quā cupidè, & alacriter novum illum hospitem, & nudum puerulum tantum non frigore palpitantem ac plorantem amplexa sit: ad haec quàm propensè, & amanter mater Filium sua viscera fouerit, & lactarit, iamque suo cantarit. Osculetur me osculo oris sui, dilectus meus mihi, ego & illi: Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens est. Breviter, nullius ingenio comprehendi, ne dum lingua vel calamo explicari potest, quo fidei lumine Maria tunc illustrata, quàm flagranti charitatis igne succensa, quantisquè gaudiorum accesionibus perfussa, Sanctissimum illum Filij natalem nocte ac die celebrarit.

Cantic. 1.
Isaiae. 9.
Lucae. 1.

Gaudio perfundor, & exhilaratus loquor, quoties illud suave colloquium à Maria cum infante suo habitum, & à Basilio Seleuciae Episcopo notatum perlego, cum vellem etiàm passim illud in mente mea revoluere, vt cor meum durum, tenerrima hac contemplatione mollesceret, & in Deiparae Virginis devotionem, suiquè Sanctissimi partus memoriam se totum accenderet, flammisquè divini amoris adustum, nihil terrenum attrahere posset: audiatur Basilius: qui cum Beatam Virginem Filium suum intuentem, & Coelesti quodàm amore, & timo-

ré correptam; solàm solum ita initio compellantem supponit, dicentem. *Ego te mi parvule quo pacto digne, & convenienter appellem? hominem ne vocabo? sed divinam in te generationem agnosco. An Deum dicam? sed humana carne indutum adspicio. Quid igitur aggrediar? te ne lactè nutriàm, an vero ut Deum colam? tibi ne maternum præstabo obsequium an sicut ancilla cultum adorationis impendam? te ne ut Filium amplexu meo fovebo? an tamquàm Deum supplex invocabo? tibi ne lac porrigam, an offeram Thimiama? Quam ingens & abditum isthuc est miraculum? Cœlum tibi Thronus est, & meus te sinus complectitur. Laudo igitur tuam benignitatem sed gratiæ dispensationem, seu œconomiam non investigabo quando nulla prorsus lingua, nulla cogitatio hoc tantum mysterium assequi possit.*

Orat. de verbi Incar.

Amadeus non minori spiritu mirifica multa ad puerperium Virginis nostræ spectantia prodidit. *In partu Mariæ* (ait) *Cœlos esse lætatos, terram exultasse, ac infernum quodàmmodo expavisse. Si autem Christo nascente cuncta gaudebant multo maiori gaudio Matrem ipsam fuisse perfussam. Quæ cum Filium edidisset conversa, inquit ad Deum toto corde, vocem gratiarum, & laudis auditorum fecit in excelso, & Thus odoris suavissimi in incensum Domino adolevit. Accipiens verò natum Emanuel aspexit lucem incomparabiliter sole pulchriorem, & sensit ignem aquis inextinguibilem, suscepit in testa carnis genitæ fulgorem illuminantem omnia; & verbum universa portans portare meruit inter brachia repleta igitur scientia Domini; rapitur extra se & mente sursum elevata, in altissima contemplatione*

Hom. 4. de V. Matre.

defi-

defigitur: miratur se Virginem assumptam in Matrem, & Dei genitricem se læta miratur. Intelligit in se completa Patriarcharum promissa, Prophetarum oracula, & Patrum antiquorum desideria, qui Christi ortum de Virgine votis omnibus expectabāt. Videt Dei Filium sibi commendatum, & mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, & in se loquentem Dominum Deum: Ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes mulieres te benedixi: Ecce commendavi tibi Filium vnicum meum. Noli timere lactare quem genuisti, educare quem peperisti. Filius meus est ex divinitate, tuus ex assumpta humanitate.

Pater Antonius Rubius Ordinis Sancti Francisci in assertionibus Catholicis pro Beata Virgine asseverationem hanc Erasmi, Crassam ignorantiam Evangeliorum arguit, & Catholicam veritatem rationibus, & scripturæ sacræ locis confirmat, sed in re ita manifesta quidquid immoratur, oleum perditur, & vbi non est causa dubitandi, quòd dubitari posit, prolixa defensio demonstret.


*

* *

CAPVT X.

FIDEM MARIÆ IN PATRAto miraculo Cana Galilææ maxime eluſcere contra Manichæos, Valentinianos Melantonem, OEcolampadium, & Brentium, alios que Hæreticos indubie exibetur.

Ioan. 2.



Hriſtus Dominus eiuſque Mater Sanctiſsima cum Cana Gallileæ ad nuptias invitati eſſent. vinum que conuivis deffeciſſet, fide, & charitate mota Deipara Virgo, caſum miſerata Filium ſuum per modeſte rogavit, vt aquàm in vinum converteret, dicens, *Vinum non habent*, cui Dominus ita reſpondit, *Quid mihi, & tibi mulier?* & licèt ex his ſe non facturum poſſet exiſtimari, Virgo Sacratiſsima non ita credidit, ſed miniſtris dixit, *quodcumquè dixerit vobis facite* certo credens, & fidens quàm citius Filium ſuum miraculum patraturum, aquam in vinum convertens.

Et licèt ex prædictis Evangelij verbis miræ Virginis laudes deducàntur, præcipuè eius conſtantiſsimæ Fidei; Hæretici non ita ſentiunt ſed à contra-

rio, ex beneficio contumelias colligunt & opponunt.

Manichæi, & Valentiniani (testante Augustino) ex illis verbis, Quid mihi, & tibi, est mulier? deducebant, Beatam Virginem non esse veram Matrem Christi; dicebant enim, perinde fuisse Christum Dominum protulisse illa verba ac si dixisset nihil tecum commune habeo, non agnosco te pro matre. *Tract. 8. Ioannem.*

Philippus Melanthon Lutherum sequens temere deducit, Beatam Virginem tam à Christo quàm à Divo Paulo per contumeliam mulierem solitarie appellari, imò ex nuncupatione mulieris; Mariam post partum non fuisse Virginem demonstrant. *In annotatis Evang. Io: ca. 2. Epist. ad Gal. cap. 4.*

Occolampadius Beatam Virginem honoris cupidam depingit dicens. *Quid Mater volebat nonne vrget, vt cæteri videant Filium suum longe præstantiorem? non potuit ignorare quem genuit Filium quasi diceret Christus. Tu fortassis hoc velles vt sic prodirem.* *In cap. 2. Ioan*

Brentius Messiæ honorem sibi appetivisse Mariam exclamat dicens. *Vbi Maria non eum tantum honorem quærit, qui debetur parentibus sed etiàm ambit honorem Messiæ, & cupit esse quasi socia administrandi eius officij; quòd Christo divinitus mandatum erat: ibi tum Christus durissime eam alloquitur, vt contineat ipsam inter terminos suæ vocationis.* *In Ioann. hom. 20.*

Et licèt nostri instituti sit hoc solum quòd de Fide Virginis Beatæ mèmorabile invenitur, explanare, etiam licèt remissivè ad deliria istorum hæreticorum circa alia inventa, refutanda intentio, & devotio nostra se conferet, vt in nihilo glorientur reportare posse victoriam ex suis futilibus, & cavilo-

ſis rationibus erga tantam Dominam, omnium creaturarum, & Cœleſtium Spirituum merito Reginam, & omnium virtutum inimitabile exemplar.

In primis ergo mirandum venit (vt hæreticorum verſutiæ detegantur) quòd cum ex Marianis verbis: *Quodcumquè dixerit vobis facite.* Ita Beatæ Virginis Fides præclara, & eximia agnoſcatur, nihil de ea iſti manifeſti hoſtes alloquantur, ſed ſolum aliarum mētionem faciant, ex quib⁹ (ſuo videri) aliquìd adverſus eàm dicere vel ad latrare ſe habere exiſtiment.

Reſplendet in primis Beatæ Virginis Fides in eo, quòd cum videretur aliquàm repulſam paſſa in illis verbis Filij ſui; *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* non deſtitit Spe, & Fide ſua imò certa miraculi futuri, miniſtros alloquens, per dicta verba. *Quodcumquè dixerit vobis facite*, eorum animos ad Fidem, & fiduciā excitabat, ne quidquàm hæſitarent de aquæ in vinū converſione; eamdemquè Fidem, & fiduciam quàm in ſe habebat Beata Virgo, in miniſtrorum animis inſerere curabat, vt advertit Rupertus Abbas *Volūtatis* (inquit) *eius conſcia & de potentia eius non dubitans, opportuna commonitione miniſtrorum animos preparat videlicèt, ne id quòd præcepturus erat, amentiæ reputarent nondum veram eius experti virtutem. Nàm, & propinqui eius cum Apoſtolos eligeret, & omnia quibusdàm mutata imponeret, exierunt (inquit Marcus Evangeliſta) vt tenerent eum, dicentes, quia in furorem verſus eſt. Itaque ſolicita premonet vt non diffidentes, aut etiam irridentes indigni fierent gratia miraculi: ſed præcepto parentes viam facerent manifeſtandæ gloriæ Dei.* Et cum

Lib. 3. in Ioannem.

veram

veram esse dispositionem ad aliquid consequendum indigentium Fidē, Beata Virgo agnosceret, vt Christus Dominus eis miraculose subveniret, ideò Fidem suasisse Ministris, egregie notat Divus Augustinus, ibi. *Quam bene Mater Domini credulitate sua det ministris, vt non desint vina prandentibus.* In miraculis autem, quæ Christus Dominus patrabat in hominum vtilitatem, semper vel vt in plurimum, præviam Fidem ab eis exigebat, ne de rei eventu quidquàm diffiderent. Beata igitur Virgo volens à cordibus ministrorum omnem hæsitationem aut dubitationem removere, monuit illos dicens. *Quodcumquè dixerit vobis facite,* ac si apertius diceret: licèt vobis videatur impossibile vt ex aqua missa in hydrias hauriri possit vinum, obedite ei, & fiduciam hebete, & fiet vobis. Divus quoque Bonaventura hæc eadem verba Virgini attribuit dicens: *Ite ad Filium meum & quidquid vobis præceperit, exequimini. Quodcumquè dixerit vobis, facite. Timebat enim Beata Virgo ne ministrorum incredulitas, vel obsequium non promptè exhiberet, maximè si quid inconsuetum præciperet, amentiæ deputarent, quòd miraculum vel impediret, vel retardaret. Quodcumquè ergo, sive facile, sive difficile, sive sensui repugnet, facite.* Vt enim Naaman Syrus, extra rem esse iudicabat lavari septies in Iordane, servi autem opposuerunt se, ei persuadentes, vt obediret verbo Prophetæ; ita, & Beata Virgo ne Ministris extra rem esse videretur, si aqua implere hydrias à Filio suo iuberentur, monet illos, vt quodcumquè dixerit illis, faciant. Detegitur enim ex dictis verbis inconcussa Beata Virginis Fides, nàm vt rectè Sanctus Cyrillus

Sermone. 41. de tempore.

Lib. de vita Christi cap. 20

4. Regum.

advertit, omnia Filio suo possibilia credidit, non vt pecunias ad emendum eroget, non vt sponso, & con- Lib. 2. in Ioannem cap. 22. nivis tædiũ, quo ob vini defectũ affici poterãt, verbis cõsolatorijs eximat vt inepte aliqui hæretici cõmentãtur, sed vt sua potẽtia, qui filius Dei est sit subsidio precatur.

Ad alia etiam virtutum genera Beata Virgo in illis verbis: *Quodcumquè dixerit vobis facitè.* Ministros suasit. Primò, obedientiam non in hoc, vel illo, sed in omnibus, & cùm Dæmonis sit de mandatis Dei semper aliquid detrahere, Beata Virgo nihil admonet detrahendum, cùm opporteat in mandatis Dei exequendis, nec per excessum, nec per defectum Dei voluntatem transgredi, distinctionem etiam faciens inter obedientiam Deo debitam, & eam quę exhiberi debet hominibus: quòd his, cùm ea, quæ lege divina prohibita sunt, præcipiunt, minimè obtemperandum est, quia vt Divus Actor. 5. Petrus dixit: *Obedire opportet Deo magis, quàm hominibus.* Manifestum autem relinquitur, quòd potestas, quæ per divinam legem verita, fieri iubet inordinatissima est, atquè adeo nulla ratione ei parendum. Quare cùm Divus Paulus: *Obedite parentibus per omnia*; dicat amplum hoc Verbum, *per omnia*, intelligendum venit iuxta expositionem Divi Anselmi: *Quòd Filij debent obedire parentibus per omnia in Dimino.* Si autem facerent, quæ sunt divinæ legi adversa, satis liquet, quòd non obedirent in Domino, sed cõtra Dominũ

Etiam Virginis Beatæ (iuxta Bedæ authoritatem) fiducia in illis verbis demonstrata est, maximequè resplenduit, lætamquè ob Christi Filij sui

res-

responsum asserit, quia revera cognovit Filium suum annuisse suæ petitioni, quia si putasset, tunc Christum Dominum eius preces recusasse, adhuc non ita ministris diceret, vt facerent quidquid illis Dominus iusisset, & sic in spe contra spem speravit, sciens illum esse benignum, & misericordem, sperans commisseratione tandem flectendum.

Non minor fuit Beatæ Virginis prudentia, quàm verbis Divi Bernardi explicare possumus: *Vinum* (inquit) *non habent, non precatur Dominum, non imperat Filio, defectum vini tantum nunciasse contenta, cùm ita sit agendũ beneficis, & ad liberalitatem propensis; non enim gratia violenter exprimenda, sed proponenda occasio: nec nuntiat, vt ignaro; quem enim Filium Dei credebat, omnia ei nota esse, non dubitabat; sed simul dum nuntiat, tacitè suam interponit intercessionem.* Et si quàm plurimis doctissimis Viris, & Doctoribus assentiamus, qui asserunt Beatam Virginem miraculum à Filio suo patrandum spiritu prophetico cognovisse, & vt Cardinalis Toletus Author est, Beata Virgo in illis verbis monstravit mirabile donum intellectus, quòd à Spiritu Sancto eius Sponso cumulatissimè acceperat, ex quo, & assidua Sacrarum Scripturarum lectione noverat, Deum olim in miraculis, & operibus suæ potentiæ faciendis, aliquid, quòd humano iudicio repugnabat, ad miscuisse. Quomodo hæretici, quòd dignum laude, & quòd Mysterio non caret, ita in repulsam Virginis retorquent, eiusquè laudes consulto tacent, & obscurare conantur?

Serm. 46. super Cantic.

In comment. huius loci.

Sed nunc revertamur ad priora, vt obiectionibus respondeamus, & in primis Manicheis, & Valentinianis satisfaciamus ex Christi verbis: *Quid mihi, & tibi est mulier?* Credentibus pro Matre sua Beatam Virginem non novisse: quæ si benè perscrutemur nihil faciunt ad excludendam Maternitatem; imò ex Evangelistæ verbis contrarium sensum, quem introducere hæritici hic conantur, elicere verbis debemus, nam bis Beatam Virginem *Matrem Christi* Evangelista nominat semel enim ait. *Et erat Mater Iesu ibi*; & rursus, *dicit Mater Iesu ad eum*; ex quibus detegitur impia hæreticorum protervia; vt ex verbis quibus nulla contra Maternitatem Virginis nota exoriri, nec præsumi poterat, pro vera, certa, & constanti ad latrent, & expressa Sacræ Scripturæ loca contrarium asserentia, vt ignota reticeant, vel vt oblita transileant, & licèt hoc (si aliunde probatio assumi deberet) aliqua excusatione posset celari, nescimus quomodo in vno, eodemquè Evangelij contextu, verba in reprobum sensum retorqueant, quæ Catholicum, & verum, & indubitatum habeant; & ex illis: *Quid mihi, & tibi est mulier?* Maternitatem in Virgine denegent: quæ nec directè, nec indirectè tale probant, vel insinuant. Et illa antecedentia, & sequentia: *Erat Mater Iesu ibi*; & *dicit Mater Iesu ad eum*; quæ expresè Maternitatem eius fatentur, & indubitanter manifestant; consulto omittant, & taceant, sed quid non ex eorum mentium retorta intentione, quòd disonum, & pravum esse poterat, non inveniremus?

Ioan. 2.

Ioan. 2.

Lutherus, & Melanton temere sola appellatione Mulie-

Mulieris Virginitatem in Beata Virgine denegantes, facilius reijciuntur, & evidentius convincuntur; nam si nomen Mulieris in rigurosô significatu accipiamus, tàm in divinis, quàm humanis litteris genericum esse videtur, & sine improprietate tàm Virginis quàm curruptæ statum recipit. Eva nec dùm à virò cognita dicta est Mulier vt in Genesi, habetur. *Vidit* (inquit) *Mulier quòd lignum esset bonum*, & rursus, dixit *Serpens ad Mulierem*, & postea, *Mulier quàm dedisti mihi*. Et si bene attendatur octies in eodẽ cap. antequã ab Adam cognosceretur, *Mulier* nuncupatur. Etiam in eodem libro Genesis, famulus missus ab Abraham, vt quæreret Sponsam Virginem Filio suo Isaac, ipse dixit: *Si Mulier noluerit venire mecum in terram hanc.* Vbi Virgo, nomine Mulieris, nuncupatur, sicquè ex vsu Scripturæ sacræ *Mulier* cõmune vtriusquè qualitatis est vocabulum, nec minus ad Virginem, quàm ad vitiatam vel nuptam pertinet, iuxta prædicta, & Divi Augustini intelligentiam, & Origenes ex vulgari vsu loquendi, idem etiàm probat, in hunc modum ratiocinans. *Si rectè dicitur, vir, ille qui pro sola temporis ætate, qui nullius admixtionem fœminæ noverit, quomodo non eadem consequentia etiam Virgo, quæ intemerata permansit pro sola maturitate ætatis Mulier nominabitur*. Multiquè vt singularem Mariæ laudem referant, sic à Domino Matrem suam pluries nominatam censent, idquè præstantius fuisse putant, quàm si Virgo fuisset vocata, tùm quòd apud Iudæos eo tempore non expediret: tùm quia quemadmodum Christus inter Viros primatum tenet, ac Viri nomẽ maximè promerètur, sic Maria inter Mu-

Genes. 3.

Genes. 24.

Lib. de Fide contra Manicheos, cap. 32.

lieres omnes, principatum obtinens, Mulieris nomine per Anthonomasiam meritò nuncupatur. Et in humanis litteris reperitur appellatione, *Mulieris*, Viginem intelligi; & licèt Vlpianus Iurisconsultus nomine *Mulieris*, intelligat fœminam violatam, dicens: *Quòd si ego, me Virginem emere putarim, cùm esset Mulier, emptio non valebit*. Ipse tamen alibi indifferēter accipit appellationē Mulieris pro Virgine vel non Virgine nam in lege quæritur, ait: *Mulierem ita arctā, vt Mulier fieri non possit, sanā nō videri constat*. Et Iurisconsultus Caius in lege decima tertia de verborum significatione expressè inquit. *Mulieris appellatione, etiam Virgo viri potens continetur*. Quomodo ergo ita rigurosè hoc Mulieris nomen isti miseri Virginis hostes interpretari audent, vt eius Virginitatem adimant; cùm etiam in se Virginem comprehendat, & amplectatur?

l. aliquid, ff. de contrah. empt.

l. queritur, ff. de adilitio adicto. l. 13. de verbor. significat.


Ecolampadius, & Brentius honoris cupidam Virginem existimantes ex eo, quòd Christo Domino, convivas vinum non habere, demonstraret; vt turpius deliquerunt, facilius reprimuntur: patet in primis ex eo, quòd ex tali interpellatione nihilominus accrescere poterat tantæ Matri, laudis verò non paucum cùm iuxta Matris officium, quòd Filijs deficere noverat, humiliter petebat, & à supplicatione non desistebat. An verò Virgo miraculum fecit? Nonne vt alius prius intercessor Christo Domino Filio suplex rogabat? Imò solùm indicabat, quòd deficere inveniebat; vndè hæc honoris cupiditas, vndè hæc vana gloria, falsò Beatæ Virgini imposita? Nonne hæc esset culpa? Sed Virgo Beata iuxta Sacrorum Conciliorum sanctiones præcipuè Concilij Claramon-

montani sub Vrbano Secundo, & Tridétini, nullum peccatum, tàm actuale, quàm veniale commisit ergo culpabilis non fuit illa pro cõvivis insinuatio, vel supplicatio: *Vinum non habent*. *Sess.6.cap.23.*

Quòd ex eo magis patet, quòd si culpa fuisset ex parte Virginis miraculum postulare, vtiquè Christus Dominus miraculum non fecisset, ne culpam ipsam videretur miraculo confirmare: ex quo infertur Mariam hoc loco non fuisse reprehensam, nec enim potuit Christus, tàm ęquus, tàm sapiens Iudex, ac pariter eius Filius eam sine culpa reprehendere; nec Mater si reprehensa fuisset, perrexisset dicere Ministris, vt Filio suo parerent, priorem enim culpam, culpa maiore pertinatiæ cumulasset; imò Sancti Patres Cyrillus, Ambrosius, y Chrysostomus ob intercesionem Virginis Christum Dominum miraculum illud citius patrasse, quàm alioquin facturus esset (affirmant) prævidens enim futuram Matris suæ intercesionem, citiùs quàm si illa defuisset, miraculum illud facere ab æterno decreverat. Et vt Iustinus Theologus notat, non igitur verbis Matrem increpuit, quàm factis honestavit; nàm testante Hilario Christus, non fastuosè de sua Matre sensit, sed docere voluit propinquitatis, & ius, & nomen non iàm de conditione nascendi, sed de Ecclesiæ communione, tùm sumendum, tùm esse retinendum, eoquè facto significatam esse Synagogæ repulsam; cui etiam assensit Divus Gregorius. *Lib 2.cap.23. Serm.16. in Psalm.118. Hom.21. Eusebius Ecclesiastica Historiæ, lib.4.cap. 8.& 11. Cant.12 in Matthaum. Homil.3. in Evange.*

CAPVT. XI.

EX EVANGELII VERBIS *Lucæ* 2. MARIA autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. *Fidem Mariæ Virginis maximè ostendi, contra Centuriatores defenditur.*



ENTVRIATORES perfectiones, & laudes Beatæ Virginis lacerare, & evacuare nitentes, omnes vias aggrediuntur, vt in aliquo eam labefactare possint, præcipuè ex contextu Evangelij, Lucæ 2. Tunc erroris, ignorantiæ, imbecillitatis, & imperfectionis crimen impingentes. Sic aiunt: *Nequaquam perfectissima fuit Maria, sed habuit, & ipsa quasdam imbecillitates:* & alibi: *Sed non est assecuta Domini verba, cùm Lucas clarè dicat: & ipsi Ioseph, & Maria videlicèt, non intellexerunt verbum, quòd locutus est ad eos.* Et rursus: *MARIA hæc verba observabat, & longius spectare cogitabat: vt videas ipsos, Ioseph, & Mariam, non fuisse omnino*

Cent. 1 lib. 1.

perfectos, quia reſponſionem Chriſti non aſſequuntur.

Noſquè non ſolum has futiliſsimas obiectiones denegare,& repellere nitemur, ſed eiuſdem Lucæ verbis inſiſtentes, quàm plurimas Virgini Mariæ laudes depromere curabimus, eius præcipuè inconcuſſæ Fidei.

Evangeliſta Lucas non ſine Myſterio nobis inſinuat Beatam Virginem verba omnia, quæ de Filio ſuo audierat in corde ſuo conſervaſſe; vt ex verbis illis conſtat: *Mater eius conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Nàm vt rectè Origenes in huius Evangelij loco adnotavit: *Plus aliquid, quàm de homine ſuſpicabatur Beata Virgo, vndè, & cuſtodiebat omnia verba eius in corde ſuo, non quaſi pueri qui duodecim eſſet annorum, ſed eius, qui de Spiritu Sancto conceptus fuerat.* Et licèt in hoc magna eius prudentia commendetur, quæ & ſi non nulla non intellexit, vt idem Lucas narrat, dicens: *Et non intellexerunt quæ locutus eſt ad illos;* nō ignorabat omnia verba illa, quæ de Chriſti Filij ſui ore profluebant, & quæ ab alijs in eius laudem dicebantur, vera fuiſſe, dignaquè obſervatione, & collectione, ideo prima illa colligebat, & ruminabat in corde ſuo, ſperans omnia poſtea pro futura, quia ſine dubio eorum verborum, & factorum cohærentiam, & conſonantiam Virgo Sancta penetrabat, vt per hæc verba Venerabilis Beda nobis inſinuat: *Quia ſanctas Scripturas legerat, & ſciebat Prophetas, conferebat ea, quæ ſecum ſunt acta de Domino cùm his, quæ noverat à Prophetis ſcripta de Domino, & collata ad invicem, cognovit, inſtar Cœleſtium Cherubim*

Lucæ 2.

In Lucam.

Lucæ 2.

Lib. 2. de laudibus Virgin. cap. 26.

bim socia sui vultus luce, concordia. Dixerat enim Gabriel. Ecce concipies in vtero, & paries Filium. Prædixerat Isaias: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Prædixerat Michæas, Filias Syon in turre gregis adventurus, & potestatem primam, tunc esse venturam. Dicebant Pastores supernæ scilicet Civitatis, in turre gregis apparuisse cohortes, quæ natum canerent Christum, legerat Maria: bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepè Domini sui. Videbat præsepè, Dei Filium vagientem, qui homines salvat, ac iumenta; & in singulis, atquè huiusmodi conferebat, quæ legerat, & comparabat his quæ audiebat & videbat.

Vndè ne Mater à consilijs videretur amota, si eorum, quæ in terris tàm probè geruntur, remansisset ignara, rerum tempus, & ordinem tenens, ipsa meliùs post modum Scriptoribus, ac prædicatoribus Evangelij reseraret veritatem, vt Divus Bernardus docet; & simul Beatæ Birgittæ fuit revelatum, quòd Christus Dominus adhuc etiam puer in privato, ac domestico cùm Matre contubernio, multa Arcana illi abscondita aperiebat, quòd non solùm fecisse putandum est, vt eam magis illuminaret, sed vt aliorum etiam ipsa esset illuminatrix, provt nomen Mariæ, præsefert, quòd *illuminatrix* interpretatur (vt iàm Fusius in cap. 4. ex posuimus) sicquè vt olim Hebræi ad fœminam illam laudabilem, nomine Deboram, tamquam ad Magistram frequenter confluebant, vt in dubijs docerentur, & absconditis illuminarentur; sic Apostoli ad Beatam Virginem, tamquàm ad insignem Magistram, & doctricem, vt ab illa in difficillimis, & obscuris dirigerentur,

Homil. 4.
lib. 6. Revelat. cap. 58.
Iudic. 4.

tur,& instruerentur, continuo conveniebant. Et si Mariæ Magdalenæ laus non minima truibuitur, ex eo quòd Verbum Domini, sedens ad Dominicos pedes audiebat, illoquè Cœlesti pabulo recreabatur,& reficiebatur; quidde Virgine Matre, quæ in Verbo Dei audiendo,& custodiendo, ita studiosior invenitur,dicendum venit? *Quæ mens* (vt verbis Canisij loquar) *in vita, tùm agente, tùm contemplante perfectior, divinisquè rebus ac desiderijs magis vnquàm intenta?* *Luca* 10. *Lib.* 4. *de Maria Deipara, cap.* 19.

Et si bene perpendatur, & ad superiora verba Evangelistæ Lucæ mentem applicemus magna Fides Mariæ in omnibus illis elucet, nàm testante Luca quòd Maria, & Ioseph, *non intellexerunt quæ locutus est ad illos* postea de Beata Virgine, ait: *Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Quasi diceret ita fuit Fides Mariæ, quæ licèt uerba à suo Filio prolata plenè non intelligeret, & illa vt ignota posset respuere, omnia ea conservabat, id est retinebat in pectore suo, firmiter credens vera, proficua,& ad nostram salutem, ędificationem,& instructionem esse necessària,ea non minus diligens retinebat, & obsequiosa vcerabatur ruminans, & cum præteritis, præsentibus,& à Prophetis in futurum eventuris conferens in corde suo. *Luca* 2.

Quæ fides magis commendatur cum etiàm Sanctissimæ Matri Dominus duriuscule vel minus blandè videatur allocutus, dicens. *Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt oportet me esse?* quia cum plenè agnosceret Filium suum Deum esse, verbis eius plenàm adhibebat Fidem,imò illa speciali ob-

scr-

ſervatione retinebat, & myſteriorum plenà credebat, & vt talia venerabatur.

Probat ex eo Dionyſius Richelius, hunc locum nihil impedire quominus excellens, ac perfecta Sapientia, rerumquè divinarum exacta cognitio Mariæ veræ æternæ què Sapientiæ Matri, pluſquàm Sapientiſsimis, & divinitus edoctis Apoſtolis tribuatur; hanc enim vnam in ſcripturis rebusquè ſacris cognoſcendis, tanto plus lucis præ cæteris accepiſſe, quanto ſemper puriore, humiliore, dociliore, multiſquè dotibus inſtructiore mente gauderet, Deo quidèm maximè familiaris atquè coniuncta.

Lib. 2. de præconio. & digni Virg. cap. 13.

Affirmat etiàm indubitanter Fœlicem, & Glorioſſam Mariam certiſsimè noviſſe, quòd vnigenitus per patrem ſuum, deſignavit Patrem Æternum quòd item per ea quæ patris ſui ſunt, intellexit divinum cultum, atquè quòd cultui Patris Cœleſtis oppreteret eùm ſecundum aſſumptam naturam ſemper eſſe intentum: ſed circunſtantias loci, ac temporis, modumquè occupandi ſe in his, quæ Patris ſunt, nondum cognovit.

Videamus nunc in quo conſiſtant imbecillitates, quas Virginem habuiſſe Centuriatores garriunt, & de quibus iſti ſeveri cenſores loquuntur, cum variæ eſſe videantur, ſicquè diſtinctione vti oportet; nàm ſi communes humanæ naturæ defectus, quos noſtra cauſa etiàm cum Mariæ Carne Chriſtus aſſumpſit, imbècillitates intelligant, has Virginem ſuſtinuiſſe, non denegabimus quoniam ſicut Paulus prædicat: *per omnia debuit fratribus aſsimilari* ſicque Maria licèt Puriſsima, & Perfectiſsima quaſdam

Hæbr. 2.

dam

dàm habuit naturæ imbecillitates, quæ christianæ virtuti nihil derogant, vt maiorem etiàm exercendæ virtutis segetem præstent. *Nàm virtus in infirmitate perficitur*, iuxta eiusdem Pauli dictum. Vnde affectus humani Virgini Matri non defuerunt, nàm maximis doloribus fuit obnoxia sæpè numero, & experta fuit inevitabilem mortis necessitatem. Si pro imbecillitate intelligant peccata, vel lapsus fœdos, quibus mens contaminatur, & Deus offenditur, de quibus idèm Paulus ait scribens ad Corinthios. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. Hoc nec concedere nec dicere fas est, nec aliquo modo admittendum; nàm Virgo Beata perfecta Dei Mater fuit, & præfatis imbecillitatibus immunis, & carẽs; & si aliquibus (iuxta horum censorum mentem) præpediretur, cur non eas specialiter assignant, sed solum pro maiori habuisse clamant vt illis plenius satisfacere possemus? L. Corinth. 11.

Plus de ignorantia notant cum iterato Beatam Virginem ignorantia laborasse affirment, cum verba filij sui non intellexisse Evangelista doceat.

Quibus facillime respondetur, præsuposito, quòd non omnis ignorantia est peccatum, tunc maximè quando nesciuntur quæ Deus, vt cognoscerentur nondum revelavit, & non sufficienter per suos ministros sunt declarata, & proposita. Et sic multa absque culpa, & peccato licet nescire, & iuxta Damasceni sententiam, *Satius sit ignorare benè, quàm scire male*. At Virgo Maria vt verè sapiens nec erravit neque ignoravit ea quæ scire illam, & confiteri Lib. 3. de fide Orthodoxa ca. 20.

teri oportebat maximè in rebus ad Fidem, & religionem pertinentibus, vt præclarè ad notavit Richardus Victorinus *Mariam* (inquit) *non solum in omni gratia consumatam verum etiam in omni bono, & dono, quod acceperat confirmatam videri, cui nihil defuerit de plenà perfectione virtutum.*

Lib. 2. de Manuele cap. 29. & 30.

Rupertus Tuicensis non concedit Mariam simpliciter ignorasse, quæ Dominus illi respondit in templo, sed in hunc sensum quòd instar aliorum pro ignorante se gesserit, agnitumquè mysterium sapienter celarit, magna interim Fide complectens omnia, quæ suo quidèm tempore cum ita vellet Deus, efferret, alijsquè cum fructu patefaceret. Et quia à Patre suo Rege sapientissimo Salomone Filia tam solers, & ingeniosa didicerat, suum, & tacendi & loquendi tempus observari oportere, & sermonem quidem intempestivum parũ hominibus gratum, & fructuosum esse noverat.

Lib. 1. Commẽ. in Cant.

Ecclesi. 3.

Fusius de scientia, & illustratione Beatæ Virginis in cap. 4. huius tractatus egimus, ibiquè, multis demonstravimus, quantum Virgo Maria in scripturis exercitata, & Propheticis dictis illuminata extitisset, vt penitus aliquid ignorare potuisse crederetur, quòd ita cõveniens erat. & tàm ad sui quã aliorũ plenàm salutẽ, Religionis, & Fidei mysteria, & Filij sui volũtatẽ exequẽdã, per maximè necessariã

Et dato quòd Virgo Beata non statim intelligeret circunstantias illius, quòd Christus dixit, non cedit in Virginis detrimentum, imò (vt Novatus notat) id fuisse in altissimam Deiparæ commendationem à Deo permissũ, nàm circunstãtias pro tunc nõ intelligens, quievit, nequè enim amplius Filium

Lib. 1. de emi nent. Deipara cap. 16. q. 6.

interrogavit, sed pro egregia sua, & altissima resignatione, vt audivit Christum ex divino, & paterno beneplacito in templo remansisse, nihil amplius quæsivit, satisquè illi fuit, vt acquiesceret, licèt non intelligeret, audire divinæ illud fuisse voluntatis, ex quo etiàm doctrina sumitur, non esse nimis investigandum, sed summisso intellectu acquiescendum, cùm aliquid audimus divini esse beneplaciti.

CAPVT. XII.

VT MAGISTRÆ FIDEI, iure optimo Hæreses omnes destruere, Mariæ Virgini competere, easquè debellasse adversus Novatores, exponitur.



ANCTA Mater Ecclesia in quodã Festivitatis Purificationis Beatæ Virginis Mariæ responsorio, hoc præconium in laudem tantæ Matris nobis præcinendum proponit: *Gaude Maria Virgo cunctas hæreses sola interemisti in vniverso mundo.* Hoc idèm in quadàm Antiphona eiusdèm Virginis minoris oficij repetit vt debitas ei laudes pro hoc beneficio exhibeamus. S. Mater Eccle.

Non casu venit, nec mysterio caret, quòd sacro sancta Mater Ecclesia hoc victoriæ genus de Beata Virgine plaudat, & in festo suæ Purificationis concinat, neque post nonā huius officij lectionem hoc responsorium canendum, vel recitandum fidelibus præscribat, nàm miraculo comprovavit Beata Virgo in quadam suæ purificationis festivitate quàm verè hæresum, & hæreticorum destructrix fuisset, simulquè nominari deberet, vt nobis veteres scriptores, & non minimæ censuræ, & authoritatis scriptum reliquerè, à quibus non absre erit, casum referre, vt præter maiorem huius facti com probationem magis in tantæ Matris devotionem accendamur.

Thomas cantipratensis appendice ex 1. lib. Perbaltus lib. 3. part. 1. art. 2. cap. 3.

Inter alios Authores Stellarius asserit, hæc mira se reperisse in Bibliotheca Budensi temporis B Bonifacij Papæ, qui, vt in Ecclesiasticis historijs legitur, à Phoca Imperatore precibus eximijs obtinuit, quatenus Templum Romuli, quòd ab antiquis Romanorum, græcè Pantheon vocabatur, Sanctæ Dei Ecclesiæ quasi ad supplementum Religionis adderet, in honorem Beatæ semper Virginis, ac simul omnium Sanctorum dedicando consecraret, facta est in Vrbe Roma seditio inter Iudæos, atquè Catholicos non modica. Impugnabant quippe Iudæi toto vesaniæ impetu Fidem Incarnationis Christi, asserentes, & Virginem Mariam, de semine Ioseph, cui desponsata erat, non de Spiritu Sancto concepisse Christum, & generasse, adijcientes iuxta impijssimam hæresim Græcorum, omnibus modis impossibile fore, Virginem contra naturam parere posse. Cumque diutius apud Romam hæc altercatio

tio haberetur, & iàm Christiani ferventissimo Fidei zelo profanos Iudæos, nisi cito resipiscerent, & ad Baptismi gratiam convolarent, ex Vrbe propellere vellent; erat quidàm eiusdem Romanæ Vrbis civis cæcus natus, sed tamen Christianis litteris apprimè imbutus. Is namquè quodàm die eodèm Christianitatis fervore succensus, verbo veritatis conflicturus, aggressus est Iudæos, & tantâ illos redarguit constantia, vt pœnè omnes invenirentur victi, & vt falsos testes decuit, elingues. Ad vltimum verò Iudæi ad probra conuersi, & convitia, stomachando valde cæperunt improperare, dicentes. Tu cùm sis homo peccator, & in peccatis totus natus, quòmodo ausus es Fidem Christianorum defendere, & nos ad pugnam lacessere? nonne liquidò patet, Christum tuum adeo impotentem esse, vt non posset tibi lumina etiàm reformare? ad hæc cæcus. Expectate (inquit) triduo, & videbitis me, & magnalia Dei. Erat autèm post triduum veneranda solemnitas Purificationis Sanctæ Mariæ quàm Græci, Hypanti vocant, quæ est quarto nonas Februarij & necesse erat vt eadem Sacrosancta Festivitas apud præfatam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Virginis ab omni Clero Romano eodèm anno celebrari debuisset, quæ tantummodo singulis annis apud Sanctam Mariam Maiorem fit. Quo audito Iudæi indignè tulerunt, & subridendo dixerunt. Certè Christus tuus, quèm Patres nostri crucifixerunt, non potest tibi oculos reddere, qui non potuit semetipsum de periculo mortis liberare. Attamen si in presentia nostra te illuminaverit, pro certo nos omnes credemus in illum, & tunc liquidè constabit, quòd

ipse est Filius Dei, & non sit alius salvator Mundi, eo autem pacto annuere placet, vt si quis in Christum non crediderit, hoc viso miraculo, omnium rerum suarum proscriptionem patiatur, & iniurijs maximis, , vt pote maiestatis reus, de Vrbe ejiciatur. His dictis recesserunt Iudæi vnusquisquè in sua. Cæcus verò clanculo se perduci fecit ad Dominum suum Bonifacium, & indicavit ei pactum, & conditionem Iudæorum super Fide Christianorum. Quibus Papa auditis, plus solito lætus, atquè sub eodèm momento omnibus mandavit Iudæis, quatenus sine dubio præfatæ solemnitati vnanimiter occurrerent. Advenit autem festivitas illa magna, totusquè Romanorum clerus apud præfatam Ecclesiam, ex more pervigiles celebraturus excubias, cougregatus est: similiter Iudæorum conventus non modicus habebatur immixtus. Ductus est autem cæcus ille in medium plenus Fide, & Spiritu Sapientiæ, nihil hæsitans de propositis; dumquè ab omnibus Fidelibus nocturni ibidem canerentur hymni, & iàm octava lectio recitata fuisset, cæcus ante altare Matris Domini perduci se rogavit, ibidem que baculo sustentatus canere cæpit quoddam responsorium, videlicèt. *Gaude Maria Virgo.* &c. quòd sibi ante biduum (quia musicæ artis, gnarus fuerat) composuerat, in quo tàm vivaciter Iudæorum errorem confutavit, vt sub oculis omnium, qui aderant, completo versu eiusdem responsorij, vera lux, qui est Christus, genitricis suæ interventu (cuius Virginitatis integritas eodem cantu defensa est) lumen ei oculorum clarissimum reddidit, qui eius mentem pri-

mi-

mitus Fide Catholica illuminavit: Quo viso cunctis miraculo, ab omnibus Christianis illico Gloria in excelsis Deo canitur, & exultatio spiritualis habetur. Iudæi verò ad quingentos viros statim ad baptismi convolarunt gratiam, reliqui fuga lapsi, in Vrbe Roma visi vltra non sunt, vnde placuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt idem responsorium in eadem Festivitate octauum locum perpetualiter obtinere debuisset, quatenus memorabile miraculum Fidelium cordibus omni tempore ad laudem Christi ferventius semper inhærere potuisset, ipso præstante, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen, sed Hæretici Novatores hoc ægreferentes, non recte de Beata Virgine tale prædicari posse aliquibus rationibus nobis obijciunt, & probare contendunt.

Primo; dicunt, quòd quomodo sola intermisse omnes hæreses dicenda sit, cùm Deus ipse potissimum hoc agat. 1. Obiectio.

Secundo; quòd non omnes hæreses profligavit, quandoquidem multi in hæresibus suis permanserunt. 2. Obiectio.

Tertio; Quòd ex sententia Divi Pauli oportere, dicitur, hæreses esse, quòmodo ergo omnes Virgo interemit? 3. Obiectio.

Sed nunc, antequàm ad dissolvendos huius difficultatis nodos perveniamus, pro veritate, assertæ propositionis aliqua prælibare convenit, vt clariùs procedatur, & licèt sola Sanctæ Matris Ecclesiæ satis esse videatur authoritas, quæ à Sancto Spiritu edocta nec fallere, nec falli potest, Sanctorum Patrum communis assensus eam libenter amplectitur

&c

& sequitur, vt ex sequentibus demonstrabitur.

Serm. de Assu. Divus Hieronymus loquens de Beata Virgine, *Hæc* (inquit) *est Virgo quæ sola interemit vniversam hæreticam pravitatem*:

Serm. signum magnum. Bernardus. *Nimirum ipsa est quondàm à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritus, cuius planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit vniversam hæreticam pravitatem.*

In cantic. cap. 10. Rupertus Abbas. *Tu Princeps* (inquit) *omnem solvisti quæstionem, ita tàmen vt non clamares neque contenderes, nec audiretur vox tua foris quia sicut ante nos dictum est, Tu sola es Virgo quæ vniversam hæreticam pravitatem interemisti.*

Ex Sacris Scripturæ litteris (quæ etiàm de Beata Virgine in sensu allegorico, & accommodatitio intelliguntur) potestas Virginis Matris adversus hæreticos demonstratur præcipuè Genesis 3. *Inimicitias ponàm inter te, & Mulierem; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Gênes. 3. In litterali sensu loquitur de Matre nostra Eva, & de fallaci serpente eàm decipiente, & in sensu allegorico de Beata Virgine, quæ caput Zabuli, & Filiorum eius, scilicèt hæreticorum, conteret, qui quidèm tàm solum insidiari poterunt, non officere, non valent facie ad faciem aciem instruere adversus Beatam Virginem, nec ad Matris Ecclesiæ membra, cuius illa principalior pars corporis invenitur, pertingere, sed solum calcaneo insidias ponere, quæ est in corpore inferior pars, & retro posita; & licèt iuxta vulpecularum morem, vineā Domini Sabbaoth domoliri curent, eas Virgo colligere, & caudis alli-

alligatas in ignem mittere (quæ à Domino destru-ctrix hæresum destinata est) magnopere satagebit; non minimè ministerium hoc dum vixit, & post eius ad Cœlos Assumptionem Beata Virgo compleuit, nunc ergo audiatur Sanctus Bernardus in hunc locum, ita nobis verum illius sensum aperiens: *Cui* (inquit) *hæc servata victoria est, nisi Mariæ? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnino dum maligni suggestionem, tàm de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum.* *Homil. 2. super Evang. Missus est.*

In idem concinit Fulbertus Carnotensis Episcopus, & his fere modis explanat: *Quid est caput serpentis conterere, nisi principalem Diaboli suggestionem resistendo superare? Contrivit Maria, servando Virginitatem, & humilitatem, quia, & hac extinxit mentis superbiam, & illa carnis concupiscentiam. Contrivit potentiam Satanæ per Filium, quē genuit, spoliando illum dominio suo. Contrivit caput, astutiam eius, nempè sapientiam terrenam per paupertatem. Vndè de illa dici potest: Vna Mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabucodonosor. Serpens in cauda percussus evadit, in capite contritus numquàm resurgit. Contrivit autem Virgo caput, idest suggestionem eius qui Evam decepit, & caput est Dæmonum.* *Iudith 14.*

Alius ex canticis inducitur locus, hanc Virginis potestatem indicans. *Pulchra es* (inquit Sponsus) *amica mea, suavis, & decora, sicut Hierusalem; terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Primum Beata Virgo assimilatur pulchritudini Hierusalem, quia in se includit, & cōtinet perfectiones omnium *Cantic. 6.*

Beatorum, gratias, & Virtutes, & sicut omnibus perfectior invenitur, plus illis apud Dominum impetrat: Secundum aciei benè ordinatæ comparatur ad ostendendam eius potentiam adversus potestates aëreas, vt notavit ex Guilielmo, Martinus Delrius, ibi: *Nobis Sancti Angeli sunt castrorum acies ordinata, id est, ad spirituale prælium cōtra aereas potestates pro defensione hominum præparata. Dilectus igitur vt piam Matrem demonstraret cunctis malignis spiritibus vehementer terribilem, dixit eam terribilem, vt castrorum aciem ordinatam.* Cui consonat illud Hailgrini Cardinalis super verba Canticorum: *Oleum effusum nomen tuũ: Nam sicut* (inquit) *oleum cæterum liquorem supernatat: Sic nomen Virginis, ipsiusquè invocatio omnium Sanctorum nomina, & invocationes superexcellit, & superat in efficatia subventionis, & obventu divinæ Gratiæ, & Dæmonum fuga.* In idem confluit Ricardus Victorinus dum inquit: *Tota pulchra merito, quia pulchra facie pulchra mente, pulchro corpore, quæ etiam principibus tenebrarum terribilis fuit. Deterrebat enim eos flama charitatis, incendebant orationes, & fervor devotionis, stupebant immunem à peccatis. Nemo enim tam Sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum prǽter Mariam.*

In Cantic. cap. 6.

Cantic. cap. 1.

lib. 2. de Emanuele.

Hanc esse illam Mulierem fortem, quàm Salomon invenire desiderabat, cùm dixit: *Mulierem fortem, quis inveniet?* Clarius patet, vt hoc bellum spirituale, quòd Christianis continuo movet Diabolus: *Tamquàm castrorum aciem ordinatam*, fortiter,

Proverb. 31.

Cantic. 6.

ter, & viriliter debellare, & destruere dicatur. Hęc Sancta Virgo illius arma, quibus eos oppugnare nō cessat, confringit. Hæc vicissim Christianorum præsidia, quibus se in bello adversus hostem debent defendere. Hæc armatura Dei, quàm induere iubet Apostolus: *Vt possint resistere in die malo.* Poterunt autem facile ad exemplum Sanctissimæ Virginis, eū vincere, eiusquè caput contererę, si viribus suis diffisi, spem victoriæ in auxilio Christi Domini Filij eius repositam habeant, nàm vt inquit Sanctus Cyprianus: *Non enim Christus tamquàm spectator solùm cogitandus est, sed tamquam adiutor implorandus, qui in suis, & luctatur, & vincit, & coronat pariter, & coronatur.* Ephes. 6. Lib. 2. epist. 6.

Non est etiam hæc Beata Virgo, illa lux, de qua statim, atquè Spiritus Sanctus ferebatur super aquas in prima mundi molitione, subdit: *Fiat lux.* Abigens tenebras occupantes faciem Abyssi? In illa sine dubio figurata est Beata Maria, lux illuminans mundum; ita eleganter notat Albertus Magnus, dicens: *Ipsa Beata Maria etiam dicitur lux, tenebræ enim erant super faciem Abyssi.* Et Glossa: *Tenebræ ignorantiæ, & cæcitatis super faciem cordis humani, dixitquè Deus; fiat lux, idest, Maria generetur, & nascatur.* Glossa: *Ab æterna luce, primo fiat*, temporalis lux, vt per eam cætera videantur; lux enim auluendo dicitur, idest, purgando tenebras hæreticorum, & peccatorum. Genes. 1. Bibliotech. Beatæ Mariæ. Genes. 1. vers. 1.

Hinc evenit quàm proprie sub hac intelligentia Deus iusserit dividi lucem à tenebris, id est, Mariam à Iudæis, qui ob cœcitatem, & obstinationem

in peccatis, in tenebris ambulabant, ignorantes Deum incarnatum, quem audiebant prædicantem, & videbant miracula patrantem: *Ambulantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Sui autem eum non receperunt*, nec cognoverunt; *quia dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera, omnis enim qui male agit odit lucem.* Si ergo Beata Virgo Maria lux optima, & Iudæi tenebræ, quæ societas lucis ad tenebras? (inquit Apostolus.) Divisit ergo Dominus Deus lucem suam, Mariam sui genitricem à tenebris Iudæorum: Hac luce quasi quodam collirio illuminantur cœci nati, vt sanatis oculis, Dei gloriam valeant intueri, hic per Fidem, in futuro per speciem. Sed hanc lucẽ tenebræ, idest, tenebrosi peccatores, Iudæi, Pagani, & Hæretici non comprehenderunt: *Quia egris oculis odiosa est lux* (vt dicit Augustinus) *quæ puris est amabilis.*

Isai. 9. vers. 2.

Ioann. 3. vers. 19.

2. Corinth. 6. vers. 14.

Hæc est domus, quàm mira Dei sapientia ædificavit sibi, scilicèt Beatam Mariam, vt vinceret, & contereret Diabolũ, qui animas sanctas, quæ si manerent in statu innocentiæ essent Dei habitatio, vicit, ac perdidit. Vt ergo vincat victorem, perdat perditorem, innocentiam restituat, & animas fidelium erigat in suum habitaculum, ædificavit sibi Mariam domum, & gratam habitationem. Meditationem istam eisdem verbis scriptam invenimus in eruditissimo, & pio illo Idiota, & in Ricardo de Sancto Laurentio. Hic accepit ab Idiota, quia Idiota floruit ab anno 800. & Ricardus ab anno 1200. ait ergo Idiota: *Nàm in principio cùm ceciderant Angeli, natura erat corrupta, Deus offensus* *Dia-*

Provcrb. 9. vers. 1.

Lib. de contemplat. Virg. Maria, cap. 4.

Diabolus victor: sed per te, ò super Benedicta Virgo Maria innocentia reparatur vita Angelica reducitur, Deus homini pacificatur, & vnitur, Diabolus vincitur, & conteritur, quia de te scribitur, ipsa conteret caput tuum. Sapientia igitur te ædificavit in domum, siquidem amissæ erant animæ, quæ ob nihil aliud factæ erant, nisi, vt esset in eis habitatio Sapientia, & hoc si permansissent Sanctæ. Sed quia corruptæ erant omnes, & peccato vacillaverant, ideo te gloriosissimam Virginem Mariam ædificavit in domum solidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare posset. Hæc Idiota. Idem habet Ricardus; ex quibus habemus, quòd dici quodammodo possit Beata Virgo Maria reparatrix innocentiæ, & dirutæ naturæ per peccatum reformatrix. *De laudibus Virg. lib.* 10.

Tanta ergo Beatæ Mariæ potentia est contra Diabolum, & Dæmones, vt quatuor ictibus, seu virtutibus eos destruxerit, vsquè ad mortem illorum. Primò, Diabolus est territus: Secundò; confusus: Tertiò; contritus: Quartò; mortuus. Ingenij acuminis Archiepiscopi Genuensis Iacobi de Voragine est consideratio, qui ita ait: *Salutatio Virginea, qua Beata Virgo fuit ab Angelo salutata, est Diabolo valdè odiosa, quia per illam fuit territus, Cantic. 6. Terribilis vt castrorum acies ordinata,* per illam fuit confusus, *Iudith* 14. *Vna Mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabucodonosor. Per illam fuit contritus. Genes. 3. Ipsa conteret caput tuum. Per illam fuit mortuus. Vndè dicitur Iudic. 5. Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus est. In figura. Inter pedes Iabel ruit, &* *Serm.* 132. *Cant.* 6. *Iudith. cap.* 14. *Genes.* 3. *Iudic.* 5. *vers.* 27.

de-

defecit, & mortuus est Sisara, idest, Diabolus. Interpretatur enim Sisara exclusio gaudij, & significat Diabolum, qui est exclusus à Cœlesti gaudio. Quando igitur Diabolus illam salutationem audivit ita est, ac si audiret tonitruum, quo terretur,
Psalm. 76. vers. 19. *Psalm. 76. vers. 19. Vox tonitrui in rota. Cùm enim illa salutatio profertur, ita terretur, tumquàm si ebrius rotaretur, ita est, ac si videret baculum, sive*
Numer. 24. vers. 17. *clavam, qua percutiatur, num. 24. vers. 17. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, idest, Dæmones. Ita est, ac si*
Iudith. 13. vers. 10. *videret gladium, vt iugularetur. Iudith 13. vers. 10. Percussit bis in cervicem eius, & abscidit caput eius. Amputavit Iudith pugione caput Holofernis. Iudith interpretatur, glorificans, & significat Virginem, quæ Deum semper glorificavit. Holofernes interpretatur, infirmitas descensionis, & significat Diabolum, qui multos enervat robustos, & multos pacificos ad descensionem provocat. Tunc enim Iudith caput Holofernis amputavit, quando Beata Virgo Dominium suum ab eo abstulit. Ita est etiam sibi, ac si videret clavum, ac malleum quo excerebretur.*
Iudic. 4. vers. 2. *Vt Iudic. 4. vers. 2.* Hæc ex Iacobo de Voragine. Et cum caput Diaboli, mors intelligatur iuxta glossam interlinealem in illa verba, Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum*; etiam eam contrivit Beata Virgo. Sed cùm duplex sit mors, corporis, & animæ, restat nunc sciendum, quæ intelligi, & dici possit caput Diaboli, an vtraquè, & anceps est quæstio. Sed quia teste Apostolo per pec-
Roman. 5. vers. 12. catum introivit mors, Roman. 5. vers. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, &*

per

per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccaverunt. Ideo potiùs caput Diaboli mors animæ est accipienda: Vndè ipsa côteret caput tuum, idem est, atquè ipsa destruet peccatum, quòd est mors animarum. In hoc ergo sensu Eva dicitur occidisse omnes, & Maria vivificare. Nàm quòd Apostolus de Christo docuit; Hoc de Beata Maria Sanctus Ildephonsus scribit; dicitur enim 1. Corinth. 15. vers. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita, & in Christo omnes vivificabuntur.* Sanctus Ildephonsus sic ait: *Sicut enim in Eva omnes moriuntur; ita & in Maria omnes vivificabuntur. Et sicut Evæ scelere fit mundi damnatio, ita, & Fide Mariæ facta est orbis reparatio; illa infecta est veneno letali, quòd transfundit ad posteros; hæc in sua vitali anthidoto, quòd fidelis transmisit ad universos, corruit illa male credula serpenti, surrexit ista iunta verbum, quòd dixerat Deus: Ipsa conteret caput tuum. Contrivit caput serpenti ab initio prænuntiatam, & nunc Ecclesiæ primitivorum donata.*

1. Corinth. 15. vers. 22. Homil. 7. de Assumptione Beatæ Mariæ.

Non solùm in se ipsa Beata Virgo contrivit caput Diaboli, extinguens eius suggestiones, sed etiam in nobis, maximè in suis fidelibus, & devotis; quòd duplici authoritate probabimus: Prima sit Ricardi à Sancto Laurentio ex figura Virgæ Mosaicæ. Præcepit enim Deus Moysi, vt acciperet Virgã in manu sua, per quã promittit multa, & magna signa facienda; Exo. 4. vers. 17. *Virgã quoquè hãc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Fecerûntquè malêfici Ægyptij apparentia signa similia; per virgas suas quæ conversæ sunt in Dracones; sicut Virga Moysis

Lib. 12. de laudibus Beatæ Virginis.

Exodi. 4. vers. 7.

sis in Colubrum: *Sed devoravit Virga Aaron Virgas eorum.* Modo Ricardus: *Beata Virgo ore aperto ad Filium exorandum devorat, & anihilat serpentes, idest, astutias Dæmonum, & tentationum, animas venenantes, vndè dictum est serpenti, ipsa conteret caput tuum.* Virga itaquè Moysis, & Aaronis versa in columbrum, ore aperto devoravit Virgas Ægyptiorum conversas in Dracones; sed Beata Virgo Maria, Virga virtutis Dei, Virga signorum, & verè miraculorum, ore aperto orat, & deprecatur pro nobis, & suis deprecationibus conterit Diabolum, suggestiones eius extinguit, & removet ne sui cultores veneno suggestionis Diaboli consentiant, pereant, & vincantur.

Exodi. 7. vers. 12.

Iacobus de Voragine idem probat ex proprietate Cedri, cui assimilatur Beata Virgo, Ecclesiast. 24. vers. 17. *Quasi Cedrus exaltata sum in libano. Cedrus* (inquit) *signat Mariam in arbore, in fructu, in succo; Relictis alijs, succus Cedri multiplicem habet virtutem. Altera est, quòd sucurrit morsibus serpentis. Sic Beata Virgo morsibus Dæmonum imperio suæ potestatis. Ipsa conteret caput tuum. Tunc enim Maria caput serpentis conterit, quãdo à nobis pravas cogitationes expellit.* Virtuosus succus sanctissimę Arboris, cuius benedictus fructus fuit meus Iesus, meus Redemptor: Oratione ad ipsam, succum in aquæ virtutis cœlestis suggimus ad pravas cogitationes, & Diaboli suggestiones expellendas. Ipsa suis auspicijs, & auxilio conterit caput, & initiũ peccati, quòd est suggestio Diaboli.

Sermo. 25. de Beata Virg. Eccles. 24. vers. 17.

Nihil mirum, quòd Beata Virgo omnes Diaboli astutias, suggestiones, potentiam, & malitiam sub

pe-

pedibus conculcatas, & contritas habeat, nam hoc idem indicatum est, Apocalypsis 12. vers. 1. *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* Amicta inquam Sole, quia vt dicit Sanctus Bernardus Sermone super hunc locum; Solis nobilitatem induit. *Quemadmodum Sol super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoquè præterita non discutit merita: sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omniumquè necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* Omnibus? pœnitentibus, & eam invocantibus. Et Dæmones? *Vt Luna sub pedibus eius.* Luna enim stultum significat, & Diabolum. *Stultus vt Luna mutatur.* Eccles. 27. vers. 12. *Imò* (inquit Sanctus Bernardus) *& vnicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus vt Luna sapientiam perdidit in decore suo sub Mariæ pedibus conculcatus, & cõtritus, miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa Mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura cuius plane calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa, sola enim contrivit vniversam hæreticam pravitatem.*

Apocalyp. 12. vers. 1.

Serm. super Apocalyp.

Eccles. 27. vers. 12.

Stultum vt Lunã sub pedibus Mariç etiam Ricardus de Sancto Laurentio vocat Diabolum: *Luna à Mene* (ait) *quòd est defectus, hic est Diabolus, qui à plenitudine domus Dei cecidit in defectũ totius boni. Hic autem stultus, vel hæc Luna sub pedibus Mariæ, quia subiectus ei plenariò. Vndè dictum est serpenti Ipsa conteret caput tuum.*

Lib. 12. de laudib. Virg.

Si ergo ita vicit Diabolum, eiusquè suggestiones; quomodò non Filiorum eius hæreticorum, dogma-

ta, & sectas falsas ad nihilum reducet, illos, & illas conterens? Singula probemus; Ecclesiasticus, vt significaret insignem victoriam, quàm Beata Virgo adversus omnes suos hostes retulit, comparavit eam palmæ, arbori victrici, dicens: *Sicut Palma exaltata sum in Cades.* Et inter omnes Virginis victorias, illa celebris est valdè, quàm adversus omnes hæreses tulit, testante Catholica Ecclesia in relatis verbis: *Gaude Maria Virgo cunctas hæreses sola interemisti in vniverso mundo.* Minores valdè fuerunt, quas illæ celebres in sacris litteris fœminæ reportarunt; quia licèt triumphavit altera Maria de Pharaone, Iael de Sisara, Iudith de Holoferne, Hester de Aman hostibus patriæ suæ peremptis; Maria Virgo sola inter omnes eminet, & vna tot hæreses ante triumphalem currum ducit. Palma, insigne victoriæ est, & trophei, vt Divus Isidorus notavit; & victores in prælijs ramis palmæ in capite, & manibus ornabantur, vt se vidisse, Martyres victoriam de Tyrannis reportantes manibus Palmas gestare, Ioannes Apostolus narrat, ibi: *Et Palmæ in manibus eorum.* Imò vt Liranus ibidem adnotat habenti iustam causam dabatur Palma in manu, quasi victoriam iàm habuisset in ea: *Et quem iustum conspexerant, illi iustitiæ Palmam dabant*; vt Deutoronomij libro scriptum babemus. Et non solùm Palmas triumphi, & victoriæ symbolum fuisse credendum est, sed etiam præsagium, vt Plinius refert, & Palmam natam in basi Cæsaris Dictatoris ante bella civilia, quæ gessit, futuræ eius victoriæ, & trophei prognosticum extitisse; & in Iustiniano codice Palma ponitur pro victoria, & fine laborum, sump-

Ecclef.24.

Lib.7.Ethimolog.

Apocalyp.7.

Deuteron.25.

Lib.1.de naturali historia.

l.1.C.de princ. argen.lib.12.

sumpto fundamento, quia Palma ea est prędita fortitudine, vt quamtamcumquè magnam ponderis molem ligno eius superponamus, numquam flectatur, nec dorsum cedat à pondere victum, vt tradit Bercorius; etiam quia folia Palmæ formam gladij præ se ferunt, & rami illius (vt ingeniosè obseruavit Henricus Schualem) figuram manus; fructus verò, nempè Dactyli, figuram digitorum portendunt. Vndè, & digiti Dactyli sunt appellati.

Lib. 12. reductorij moralis, cap. 112.

Aphorism. hieroligli cis, lib. 19.

Et quomodo non victoriam reportaret cuius venter armamentarium fuit in quo armatus fuit Christus contra potestatem inferni; & sic armatus vicit Diabolum, & omnes fugavit Dæmones? Sic exponit Sanctus Methodius: *Tu (inquit) potentem illum, nempè Christum, corpore tamquàm decenti panoplia, hoc est, omni armorum genere induisti, per quam etiam ignita omnia maligni tela extinguntur.* Et vt Epiphanius tradit, habet inde suam quoquè laudem tanti Filij Mater, quæ tamquàm Leæna, invictum illum leonem de Tribu Iudà, hæreticę pravitatis domitorem genuit; quæ insuper Fidem de hac ipsa Christi victoris potentia, & Maiestate præ omnibus illustrem tenuit, & excellentem. Hęc enim est victoria, quæ nō modo mundum, sed etiam perfidiam hæreticam vincit. Et scutum in quo tela nequissimi ignea extinguntur, Fides inconcussa, quam Beata Virgo ita semper excoluit, vt ille pius, & doctus Pater Canisius eam his vocibus suo posse exaltet. *Quid autem Mariæ Fide firma, solida, immobili præstantius? Quid admirabilius? Quid ad omnes omnium hæreticorum insanias, & oblatrationes*

In Hipapante.

Hæres. 68. contra Antidicon arittas.

Apocalyp. 5.

Ephes. 6.

Lib. 5. de Maria Deipara, cap. 10. in fine.

nes attendas, robustius quæso? Præsertim si de primis, & præcipuis loquamur hæresibus, quæ contra divinitatis Mysterium, & vtramque Christi naturam arte satanica velut ab inferis in Orbem eruperunt, proinde hanc ipsam Fidem Virginis cognata Elisabetha, quamlibet sancta, tantopere suscipit, atquè, vt alibi diximus, publicè prædicat.

Lucæ 1.

Non speculemur, sed ad practicos actus recurramus, quibus facilius huius asserti veritatem comprobemus. Nonne hæreses, & Hæreticos Virgo Beata destruxit, & contrivit quãdo Iulianum Apostatam, & Tyrannum hæreses omnes in perniciem Christianorum foventem, occidi iussit? Nonne inimici sui Nestorius, & Copronymus ille ob offusa convitia in Mariam, vermibus linguam suam corrodentibus, extorris miserabiliter absumptus est? Et iste ob imaginum suarum abolitionem febrè æstuans, & Elephantia putrescens deperijt honorem eidem Virgini restitui iubens? Nonne hoc idem in alijs veluti cùm Leone Isaurico, Michaële Balbo Theophilo, executum videmus, qui omnes occubuerunt, cùm simili vltione? Non etiam hæreses destruxit cùm Gregorium Taumaturgum iuvans præscripsit illi formulam Catholicæ Fidei? Et Duci suo Narseti in bellis contra Arrianos consultrix, & adiutrix adfuit? Et cotidie videamus, nequè vlla hominum ætas sit, quà exortis novis hæresibus Beata Virgo, non aut beneficijs pios in Fide vera conservaret, aut cœlesti virtute contra eas dimicaret, aut vindicta contumaces mulctaret? (Vt fusius infra dicemus) & in vanum esset casus ad scripta

re-

redigere, quia nec libri capere possent, nec humana mens comprehendere quantum hæc pia Mater nostra nos puros in Fide servari curet, omnesquè ab erroribus reducens, Filio suo præsentare.

Diversis titulis, varijsquè rationibus hoc Beatæ Virginis Patrocinium, & potestas demonstratur; illiquè plenius, & proprius, quàm alijs Sanctis competere, & adæquare ex sequentibus apparebit.

Primò: Propter eximiam Beatæ Virginis sapientiam, & exemplo suæ Fidei, & doctrinæ quà Apostolos multipliciter nominavit singulari modo cooperata est ad extirpandos omnes errores.

Secundò: Quia genuit illum, qui cùm sit Sol Iustitiæ, lucem intulit Mundo ad interemptionem omnium hæresum sufficientem.

Tertiò: Quia ipsa Principem tenebrarum deiecit, qui est author omnium hæresum.

Quintò: Quia scientia Virginis nullis erroribus fuit ad mixta: Imò intellectus eius in nullo rerum genere, errore aliquo fuit vmquàm obscuratus, aut ignorantia alicuius rei ad proprium statum pertinentis, laboravit, fuit edocta, non ab hominibus, sed partim à Deo ipso immediatè, partim per Angelos, aut sacram Scripturam, consequens erat omni errore, & ignorantia semper caruisse.

Sextò: Quia Beata Virgo habuit plenum dominium suorum actuum, & sic potuit de rebus indicare ea, quę certa Fide, vel scientia infusa, vel speciali, aut privata aliqua revelatione cognoscebat, in alijs verò, vel suspendere assensum, vel solùm iudicare, quid esset verosimilius.

Non

Non mirentur ergo Novatores alijquè hæretici, quòd his, & alijs altioris fundamenti principijs Ecclesia Sancta ducta (& quòd maius est Spiritu Sancto edocta) plenè laudet Beatæ Virginis ad debellandas, & destruendas hæreses omnes, potestatem, illiquè soli melius, quàm alteri hæc victoria tribuatur. Nec vt tanti agant, quæ huic veritati opposita credunt, & in principio huius capituli retulimus, revertamur ad ea, & minutatim respondeamus, vt hi miseri resipiscentiæ causam inveniant.

Prima obiectio fuit, quòd quomodo sola interemisse dicenda est, cùm Deus ipse potissimum hoc agat.

Responsio ad 1. obiectionē. Ad hanc sic respondetur. Primò, quòd in huiusmodi verbis opes divina non excluditur, sed præsupponitur. Nihil enim sine divina gratia Virgo ipsa potest, sola igitur inter creaturas hoc facere dicitur: *Psalm. 75.* *Sola* (quia sola peperit illũ) *qui cõtribulavit capita Draconum in aquis*. Sola, quia tanti fuit meriti post Filium apud Deum, & gratiæ, atque in omnes misericordiæ, vt per hanc velit, per hanc possit hæreses expugnare. Ipsa per ipsum Maria pariens Christum conteret caput, idest, venenum invidiæ Diaboli, vel noxij capitis elationem Christus ex Virgine Matre natus. Ita Sanctus Leo Papa. *Serm. 2. de Nativitate Christi.* *Deus enim cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim vt nos Diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa Mundi primordia præsignavit: denuntians serpenti futurum semen Mulieris, quòd*

no-

noxij capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum, hominemquè signans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret. Hinc aliqui legunt in authoritate illa Genesis 3. *Ipsa conteret caput tuum; ipsum* pro *ipsa*; vt Sancti Spagninus, & eandem lectionem sequitur Oleaster, nec cruciatur in veritate lectionis, sicut alij moderni Expositores, qui omnes Sanctos Patres credunt in lectione fœminina convenire, excepto dicto Sancto Pontifice Leone. Sed quicquid sit de lectione Hæbraica, parum disentit sensus: vtrum videlicet pronomen *Ipsa*; referatur ad Mulierem: vel si legitur, *ipsum*; referatur ad semen Mulieris, vt Oleaster exponit, dicens: *Ipsum scilicet, semen Mulieris, seu homo, conteret tibi caput, aut percutiet tibi caput.* Nam sive dicamus, quòd ipsa vaticinata Mulier, scilicèt Beata Virgo, per Filium eius, vel ipsum semen Beatę Virginis, Christus homo conteret caput Diaboli, non variatur sensus, licèt varia appareat lectio. Et ex Sancto Leone solita eruditione, & præclara dicendi elegantia superbia Diaboli, eiusquè invidia, caput serpentis appellatur. Et insuper addit: *In Mundi primodijs, cùm Diabolus veneno suæ malitiæ hominem mortificavit, & decepit, Deus prędestinavit remedia renovationis hominis, habenda per futurum semen Mulieris, scilicet, Christum venturum, & de Virgine Maria nascĩturum.* Totumquè hoc denuntiavit serpenti: Hæc est Sancti Leonis sententia, sensus, & explicatio, nec videmus quomodo à concordi Sanctorum Patrum sensu dissentiat, sicut aliqui arbitrantur. Quid enim mirum,

vt

vt hæreses omnes interimat *sola*, quæ, *sola*, Angelo credidit, & Angelo credendo cũ Christum Deum, & hominem peperit, & cùm ad Crucem Filij sui gemebunda stetit, ac *sola*, constantius in eum Fidem, fugientibus Apostolis, tenuit; omnes Fidei hostes viriliter evincat, *sola*.

Nequè obest si respondeatur. Quòd etiam Angeli iuvant in hæresibus confutandis; Doctores Sancti, vt Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, & alij per multi, qui viriliter contra hæreticos decertarunt, deviceruntquè frequenter; etiam peremptores hæresum dicendi veniunt, quomodo igitur sola Virgo dicitur eas intermisse?

Nàm in promptu responsio est, & quantum ad Angelos pertinet eos quidem iuvare in perimendis hæresibus, sed hoc facere authoritate ipsius Virginis, quæ ipsorum Angelorum Domina est, ac Regina, quæ cùm Rege Supremo Angelis ipsis, vt Ministris, ac servis vtitur dum opus est, eamquè ob rem, quæ faciunt Angeli, potissimum post Deũ sunt ipsi Virgini tribuenda. Quòd enim ab ipsa Beata Virgine soleant Angeli, & interdum alij Sancti mitti ad iuvandos bonos, & malos reprimendos testãtur historiæ. Et vt cæteri prætermittãtur in ipsis historijs legimus: quemadmodum Virgo ipsa misit Mercurium Martyrem ad occidendum Iulianum Imperatorem, quem Apostatam vocant, (& de quo supra facta fuit mentio) qui Filium suum blasphemabat; & Sancto Basilio Episcopo, alijsquè fidelibus interitum fuerat comminatus. Quantum ad homines verò, qui in hæresibus extirpandis nervos omnes intenderunt; dicimus, eos hoc virtute

Ma-

Mariæ fecisse: hoc est, eius meritis, suffragijs, alijsquè iuvamentis tenebras errorum fugasse. Ergo quia authoritate, ac virtute eius hoc factũ est, eam obrem ipsa dicitur sane fecisse. Etenim profligationes hostium, quæ ab exercitu fiunt, solent Duci adscribi. Atqui Virgo ipsa Dux est primaria exercitus Christiani contra Hæreticos, improbosquè Fidei hostes, qua propter victoria non immerito ei tribuẽda est. Deniquè vt fons potiùs dicitur aquam fundere quàm canalis, & Sol potiùs illaminare, quã apertio fenestræ, ita, & Maria, quæ fons virtutis est: per quem aqua veritatis defluit, qua fervor hæreticorum extinguitur: Et Sidus quoquè est, quòd Doctorum mentes illuminare suo splendore solet; potiùs dicenda est hæreses interimere, quàm Sancti ipsi. Quia, *sola*, ipsa ad destruendas hæreses, veritatem, lucem, virtutemquè summam produxit. Et sicut producens lucem dicitur tenebras fugare: ita Virgo ipsa maximam lucem, qui Christus est tenebras errorum sola interemisse dicitur: Hic enim modus nulli alteri, quàm Virgini competit. Ergo quia sola toto mundo produxit eum, qui vniversas hæreses perimit, non iniuria dicitur ea sola interemisse.

Secunda obiectio est; quòd non omnes hæreses profligavit, quando quidem multi in hæresibus suis permanserunt.

Cui satisfaciendum facile ex sequentibus creditur, in primis dicitur Beatam Virginem cunctas hęreses, hoc est, omnia hæresũm genera sicut modos interemisse, quemadmodum, & Christus illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, *Responsio ad 2. obiectionẽ.*

vt scilicet sit distributio pro generibus singulorum; vel dici aliter poterit; eam omnes hæreses quantum in se fuit intermisse. Quòd enim aliqui in suis erroribus perierint, nō Virginis defectus, sed eorum culpa fuit.

Tertia obiectio est; quòd ex sententia Divi Pauli opportere dicitur, hæreses esse, quomodo ergo omnes Virgo interemit?

Responsio ad 3. obiectionē. Cui Apostoli Pauli authoritati, sic respondetur, quòd verbum illud, *opportet*, non dicit absolutam necessitatem, sed quamdam opportunitatem, hoc est, vtilitatem, ob quàm Deus ipse sinit hęreses exoriri. Nisi enim ex hoc malo quicquàm boni eliceret, numquàm fieri permitteret: Permittit ergo Deus, vt veritas plenius intelligatur, vt Fides roboretur fortius, vt Doctores in huiusmodi negotio se exercentes plus mereantur, vt demum, qui verè fideles sunt probentur, & appareant. Et nihilominus vult ipsas hæreses quando suboriuntur, & agitari, & cōfutari ne Fidem turbent, animasquè subvertant. Nequè enim se solo vult opus huiusmodi efficere: sed dignatur cooperatores habere. In quibus primas partes tenet ipsa Virgo, quæ omnes hæreses subortas peremit antea, & à nobis propterea oranda est suppliciter: vt eas, quæ hoc tempore feruent; dignetur etiam sua potentissima virtute interimere; & eos, qui talibus adhærent, ad Fidei, & virtutis tramitem revocare.

CA-

CAPVT XIII.

MARIÆ VIRGINIS FIDES celebrior illa ABEL, ENOCH, NOE, ABRAHAM, IACOB, & aliorum à Divo PAVLO pro Fide sua laudatorum, ac etiam cæterorum in divinis litteris pro ea speciali laude memoratorum, adversus Lutherum, Erasmum, & alios Hæreticos sequentibus, §§. demonstratur.



VOTIES encomium illud Beatæ Elisabeth, Fidei Marianæ commendationem continens: *Beata quæ credidisti.* Intra me attētius rumino, miror sane, quomodo impijssimi Hæretici illam in Fide non solùm celebriorem negent, & alijs in Fide laudatis adæquent, vel minorem faciant, sed, & vacillasse bacchentur. Nàm si Elisabeth ait, Mariam tunc credidisse, quando ab Angelo de Incarnatione Filij sui certior facta nar- *Lucæ* 1.

narratur; quomodo solùm ex illis verbis. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Dubiam in Fide extitisse credunt? Falluntur ex omni capite asserentes non credidisse, vel dubiam extitisse. Nàm si dubia illa Fides fuisset; non erat digna illa celebri, & laudabili commendatione à Beata Elisabeth prolata, & ab Spiritu Sancto edocta. *Beata,*
Lucæ 1. *quæ credidisti*: Nec beatitudinem assequeretur Beata Virgo propter vacillantem credulitatem, nec præmium polliceretur, ex dictis verbis: *Quoniam perficientur in te ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Si id tàm in præsenti, quàm in futuro sæculo nancisci dubitaretur? Sed quid mirum, vt hi manifesti Virginis hostes de eius Fide, ita futile sentiant, vt non vereantur eam alijs comparare, sed minorem facere, quando hoc tam potens, & clarum testimonium depræclara eius Fide, & sublimitate, tamquàm ignotum trãsiliunt, vel cognitum intermittunt? Sed (adiuvante tantæ Matris gratia) si se nõ vidisse affectant, vel visa cõfiteri recusant, quantum in nobis fuerit à cœcitate revocare eos curabimus, præstántiamquè Fidei Mariæ, quãtumquè omnibus pro ea in sacris litteris laudatis, sublimiorem fuisse, nostro posse, captuquè, in sequẽtibus demonstrare conabimur. Divus Paulus cum ad Hæbreos scribens, Fidem deffiniret, & commendaret; ab exordio Mundi, vsquè ad David, ac Prophetas ex actis Patrũ plures refert quos pro Fide, magna patratos, & passos esse commemorat; sed quantum Fides Virginis omnibus his, alijquè in sacris litteris pro Fide sua laudatis excellsior appareat iuxtà cuiuscumquè facta, facile erit videre.

§. I.

§. I.

FIDES VIRGINIS MAIOR illa ABEL iusti.

FIDE plurimam hostiam ABEL, quàm Caim, obtulit DEO, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius DEO, & per illam defunctus adhuc loquitur. *Hæbreos 11. vers.4.*

Maria Virgo non minorem hostiam Fide sua Deo suo obtulit quando Virginitatem suam, vel voto, vel simplici promissione post in Templum præsentationem vovisse, vel promisisse legitur; ex qua non immerito Beatitudinem, & Maternitatis dignitatem consequutam Divus Chrysostomus docet: *Cùm enim*(inquit) *Beata Maria supra omnem humanam naturam, Castitatem servaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit.* *Apud Metaphrastem.* Et non minus Dominus respexit munera eius, ac iusti Abel; ex quo hæc Virgo clamat. *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* *Lucæ 1.* Quæ clarior, & pretiosior hostia toti Sanctissimæ Trinitati offerri valuit, quàm hæc Beatæ Virginis Mariæ castitatis, & puritatis summa Virginitas, trina in tempore, & semper vna, Virgo ante Partum, Virgo in Partu, Virgo post Partum, & semper Virgo, non solùm corpore, sed mente; munus hoc non terrenum, sed potiùs cœle-

ste

Lib. 1. *de Virginibus.*

ste donum dici debet. *Nàm è Cœlo accersivit, quòd imitaretur in terris; nec humano, quis potest ingenio comprèhendere, quàm nec natura suis inclusit legibus:* Vt eleganter Divus Ambrosius ait. Nonne Deo Patri hæc Beata Mater natum ex suis visceribus Filium suum in Tēplo præsentavit qui est Hostia, Sacrificium, Sacerdos, & Summus Pontifex secundum Ordinem Melchisedech, qui se ipsum semel obtulit pro peccatis Populi, moriens in Cruce, vt nos à servitute Diabolicæ potestatis liberaret, & redimeret; ibiquè Beata Virgo eandem Hostiam libentissimè obtulit, & quis in Mundo, hæc, nisi Beata Virgo potuit sacrificare? Et Deo Patri offerre?

Et licèt per Fidem adhuc defunctus Abel, loquatur, vt Divus Paulus affirmat, quid non Virgo Beata post eius in Cœlum Assumptionem loquitur nobis ad mirandas virtutes, quas illa ita mirabiliter in vita sua exercuit? E Cœlo ad eas assequendas incesanter non solùm loquitur, sed, & adiuvat, & provocat, & ex inimicis, tàm corporis, quàm animæ reportare facit victoriam. Præsentem credere debemus, quàm vt præsentem salutamus, & invocamus; & vt Bernardi verbis vtamur: *Opportet vt nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus: & vt totam animæ nostræ Trinitatem in eam dirigamus, quam tàm devotissimis precibus exoramus.* Agnoscit certè, & diligit diligentes se, & propè est in veritate invocantibus se, præsertim his quos videt sibi conformes factos in castitate, & humilitate.

Serm. 1. *tract. super Salve Regina.*

§. II.

§. II.

FIDES BEATÆ VIRGINIS, Fide maior ENOCH.

FIDE ENOCH translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse DEO. Sine Fide autem impossibile est placere DEO. Credere enim opportet accedentem ad DEVM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. *Habreor. 11. vers. 5. & 6.*

Beata Virgo Fide sua licèt effectum mortis non vitavit, ideſt occasum vitæ; nam testante Psalmista. *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Et Divo Paulo. *Constitutum est hominibus semel mori.* Et Enoch licèt translatus esset ne videret mortem, vt Paulus ait, pro tunc intelligi debet, nàm hoc naturæ debitum (vt cæteri mortales) tempore à Domino præstituto, solvet, & verè morietur. At Beatã Virginẽ licèt spiritũ exalaret, mori non dicimus, quia non ex infirmitate, ex humanorum disparitate, vel ex tenuitate virium pro nimia, vel longæva ætate, aut ex vulnere, vel alia naturali causa vitam finivit, sed amore Filij sui accensa, & quasi languens extatica in illius contemplatione per somnium spiritum, & animam suam Creatori suo reddidit, ideo potiùs obdormisse dicimus quàm mori, neque mortis passa fuit plurimos effectus præ- *Psalm. 88. vers. 49.* *Ad Habreos 9. vers. 27.*

ci-

cipuè corporis corruptionis; nàm (vt Ecclesiæ tenet traditio) post dormitionem Virginis, illius anima paucos post dies iterum corpori suo Virginali vnita, Angelorum magna comitante caterva assumpta fuit Virgo Beata in Cœlum corpore, & anima; & quomodo hoc contigisset plures Sancti Patres describunt, varijquè Scriptores Sacri; sed in medium solùm Iuvenalis Patriarchæ Hierosolymitani authoritatem adducemus, qui ita post dormitionem Virginis, Apostolorum hymnodiam, & corporis humationem fuisse depinxit: *Post modum* (inquit) *cereis ardentibus prælatis, & vnguentis floribusquè iterum sparsis, Angelis Cœlitus pheretrum, vel præeuntibus, vel stipantibus, vel etiam consequentibus, Apostoli hymnos rursus, & carmina concinentes, intellectualem illam, atquè spiritualem, Arcam, ex Monte Syon in Vallem Iosaphat in prædio, quòd vocatur Getsemanes, vbi Deigenitrix sepeliri se mandaverat Apostolicis manibus, & humeris retulerunt longè splendidiore, & venerabiliore facta deductione, quàm propter translationem veteris illius Arcæ Testamenti Domini, vt sacra narrant eloquia. Vbi autem ad Getsemane genuum inflexionibus, & lacrymis renovatis sacratissimum corpus, quòd vitam portavit, in sepulcro, omni cùm reverentia deposuerunt. Ibiquè cùm per tres dies honoris gratia in divinis laudibus perstitissent, continua Cœlestium hymnodia mirificè recreati sunt, donec tertia post die cùm ex eis vnus (Thomas scilicet) tardius venisset ad exequias, divino ita providente consilio, vt nota fieret corporis translatio admirabilis, quo dolor eis adimeretur*

Apud Euthimiacum Histo riar. lib. 3. cap. 4.

prop-

propter absentiam, & cuius desiderio satisfieret, iussum est, sepulcrum aperire, quo aperto, nequaquã Thesaurus in eo reconditus, inventus est, sed sepulchralia sola linteamina rectè composita. Quæ amplexi, & exosculati, inexplicabili odore, & gratia repleti egredientes sepulcrum quidem ad pristinum modum conformarunt, id tantum pro certo habentes, per Angelorum manus beatissima Anima vivificatum ad Cœlestia tabernacula à Filio fuisse corpus trãslatum, vbi super divinorum spirituum Choros æterna potiretur fælicitate. Idem præter alios communiter sentiunt Ioannes Damascenus, & Nicephorus Calixtus. *Orat. de dormi. Deiparæ, lib. 2. Histor. Eccles. cap. 23.*

Sed si Amadeo in suis revelationibus creditur circa hæc, multa notatu digna, ad huius tantæ Matris gloriam, acta recenset: & ex Sancto Gabriele Archangelo se didicisse commemorat, Deiparæ animam non diu post ad sepulcrum reversam, Apostolis ibidem commorantibus, sole fulgentiorem in maxima maiestate apparuisse, eosdemquè longo spatio alloquutam. Dominum deinde Iesum, cùm omni militia cœlestis Exercitus de superna sede advenisse, Apostolos salvere iussisse, animamquè Matris fœlicissimam corpore iterum coniungi præcepisse, surrexisse verè Mariam, & totam gloriosam, & fulgidam, stola claritatis, atquè immortalitatis vestitam, de monumento prodisse, Apostolis videntibus, & præ cordis lætitia gestientibus, iisdem præterea comitantibus ex Valle Iosaphat progressam, cùm Filio per aëra ad Montem Olivetum, atquè inde omnibus suspicientibus, in Cœlum ante faciem Filij sui assumptam, atquè *Ex revel. suis raptu 8.*

in gloria Maiestatis collocatam: tandem regressos Hierosolymam Apostolos, gratias agentes de omnibus, quę audierant, & viderant, annuntiasse magnalia Dei in omnes gentes.

Marracius Apostoli Mariani, cap. 1.

Hæc de Amadeo refert Hippolytus Marracius in suis Apostolis Marianis; & si benè attendantur non solùm possibilia, sed rationi maximè consentanea credenda veniunt; & vbi Sacra Scriptura non loquitur, vicem authoritatis habent veritas rationi, & Sacræ Scripturæ consona, quàm negare, esset audacia, & temeritas: in hanc venit sententiam (de eàdem Virginis assumptione, & de Enoch, & Eliæ translatione tractans) Divus Augustinus, cùm dixit: *Quid ergo de Mariæ morte? Quid vè de eius Assumptione dicendum est? Vndè Divina Scriptura nihil commemorat, nisi quærendum ratione, quòd conveniat veritati, fiatquè ipsa veritas, authoritas, sine qua necesse est, nec valeat authoritas, &c. Sed si dicamus mortis eam vinculis teneri: & resolutam in communem putredinem, vermem, ac cinerem laborandum est, si hoc conveniat tantæ Sanctitati, tantæ Aulæ Dei prærrogativæ.*

Serm. 34. de Sanctis.

Præclarum est hoc argumentum ad credendum id, quòd Scriptura non docet exprefsè, & si in ea non inveniatur expressum, habetur aliqua convenientia, quæ tamquam Dux, & prævia inducit veritatem certam: sed hæc veritas inducta, & necessario illata ex Sacra Scriptura habet vicem authoritatis credendi. Exemplum habemus in eodem Patriarcha Enoch, de quo solùm dicit Scriptura: *Ambulavit cùm Deo, & non apparuit, quia tu-*

lit eum Deus. Et de Elia: *Ascendit Elias per turbinem in Cœlum.* Ex quibus Sancti Patres inferunt eos beatè vivere, Deumquè eos rapuisse servandos in Paradiso, vsquè ad adventum Antechristi: de Melchisedech solùm etiam dicit: *Erat Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Ex quibus sequitur tantum Dei Altissimi Sacerdotem fuisse iustum coram Deo, & habuisse merita magna laudis, Iustitiæ, & Sanctitatis huius Sacerdotis veritas beatæ vitæ Sanctorum Enoch, & Eliæ etiam veritas, iàm habet inter Sanctos Doctores tantam authoritatem, & certitudinem quam negare, temeraria esset audacia.

Genes. 5. vers. 22.

Ex hoc discursu colligit Sanctus Augustinus necessario credendum esse Beatæ Virginis corpus post eis mortem, nec corruptum fuisse, nec in vermes, & cineres conversum, sed suscitatum, & cùm eius Beatissima anima vnitum, gloriosè vivere in Cœlesti Patria: quia tantæ Matris Dei sanctitati, privilegijs gratiæ, & specialibus prærrogativis decens est credere, conveniens prædicari, necessarium affirmare, quia verum, & eius veritas iàm in Ecclesia Dei vicem habet authoritatis. Colligit hoc Sanctus Augustinus, quia sicut Dei potentia, Deiquè sapientia Matrem suam excipere voluit, & servare decrevit à meledictionibus Evæ in concipiendo, pariendo, Filios multiplicandos, & subiectione sub viro, sic conveniens fuit, quòd illam exciperet à maledictione corruptionis post mortem: *Scimus enim* (inquit) *Iesum omnia posse, qui de se ipso ait: data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra; si ergo voluit integram Matrem cùm Virgi-*

Serm. 24. de Sanctis.
Matthæi 28. vers. 18.

ginitatis ſervare pudore; cur non velit incorruptam à putredinis ſervare fœtore? Dicat, qui cognovit ſenſum Domini, & qui conſiliarius eius fuit: nunquid non pertinet ad benignitatem Domini, Matthæi 5. verſ. 17. *Matris ſervare honorem, qui legem ſolvere non venerat, ſed adimplere?* Iure Beatæ Mariæ corpori incorruptio debebatur, quia cœlum animatum Filij Dei erat; vndè Divus Damaſcenus. *Hodie* (inquit) Orat. 2. de dormit. Virg. *Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata eſt affectibus, ſed cœleſtibus educata cogitationibus, non in terram reverſa eſt, ſed cùm eſſet animatum Cœlum in Cœleſtibus Tabernaculis collocatur.* In Cœlo collocari colligit, quia corpus eius Cœlum animatum eſt; & quia nõ inquinatũ aliquo terreno affectu.

Quærit Origenes: Cur Iuſtus qui imago, & ſimilitudo Dei ſecundum animam eſt, non dicitur Cœlum es, & in Cœlum ibis: ſicut quia terrenus ſecundum corpus exiſtit, audit: terra es, & in terram ibis? *Si enim* (inquit) Homil. 5. in Hierem. *ad peccatores dicitur: terra eſtis, & in terram ibitis, quare non dicitur ad iuſtum, cuius eſt Regnum Cœlorum Cœlum es, & in Cœlum ibis? Et reſpondit, ideo dicitur terra es, & in terram ibis, quia homo terrenus, terrena facta quærit, deſiderat, & amat; in terram ibit, quia terrena theſaurizavit. Vnuſquiſquè noſtrum, aut Cœleſtia facta habet, aut terrena; ſi terrena facta ſunt, ad cognatam ſibi terram deducunt eum, qui theſaurizat ea in terra, & non in Cœlo: rurſum, hæc, quæ iuxta virtutem geſta ſunt, Theſaurizatorem ſuũ ad propinquas ſibi Cœlorum regiones ſubvehunt.*

82 Sed Beata Virgo Maria, nec ſecundum animam,

nec

nec secundum corpus vnquam fuit affectibus inquinata terrenis, quia corpus eius Cœlum erat incorruptibile, anima tota Cœlestis: ergo sibi debebatur secundum corpus, & animam sententia illa: *Cælum es, & in Cælum ibis?* Ritè ergo dicit Origenes, & de Beata Virgine Maria specialiter interpretatum ducimus: *Thesaurizatorem suum ad propinquas sibi Cælorum regiones subvehit.* Quia Thesaurizator Filius eius duas sibi Cœlorum Regiones elegit, Empyreum, & ventrem Virginalem Beatæ Mariæ; & sic exponere licet illud David: *Cælum Cæli Domino*, iuxta mentem Genebrardi, *Psalm. 113.* fecit Cœlum, & terram: Cœlum quidem Domino, *vers. 16.* idest, sibi pro sua sede, & domicilio, vtquè suam illic gloriam communicet, vel Christo vt in eo regnet paccatè ad suam dexteram supremum Cœlorum Empyreum est, Domino destinatum in Aulam Regiam. Nunquid Dominus Iesus, & Corpus Virgineum Sanctissimæ Matris suæ sibi pro suo domicilio elegit ad novem Menses, & suam illi gloriam communicavit carnem eius assumendo? Verum, certum, & firmum habemus: ergo si patriam, & regionem propriam apud Patrem habet, & propriam apud Matrem illam Cœlum, istam Cœli, illam gloriosam, istam animatam, capacem suæ gloriæ: Vndè Sanctus Bernardus, ait: *In Civitatem Galileæ cui nomen Nazareth. Magnus latet in hac parva Civitate Thesaurus de Maria; Novit Cælum vnigenitus Dei Patris. Si novit Cælum, novit, & Nazareth. Quid ni sciat patriam suam? Quid ni, noverit hæreditatem suam? Cælum ex Patre, Nazareth ex Matre vindicat sibi, sicut ipsese, & Filium* *Serm. 3. in Annuntiatione Beatæ Virg.*

lium David, & Dominum esse testatur, Cœlum, Cœli Domino; terram autem dedit Filijs hominum. Si ergo Christi patria ex Patre Cœlum, & ex Matre ventrem elegit in Nazareth pro patria, Cœlum est venter purissimus, & corpus purissimum Cœlum est animatum; quòd quia animatum magis perfectum, quàm non animatum est, & Empyreum anima, & ratione non præditum est, ideo corpus Beatæ Virginis Cœlum Cœli dicere possumus.

Incorruptionem corporis ex celeri resurrectione Beatæ Mariæ probant nonnulli Sanctorum, ex Psalmo: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Hunc locum litteralem, exposuit Divus Petrus de Christo Domino; sed in sensu spirituali acommodatitio Sanctus Amadeus de Beata Virgine exposuit. Nomine inferni, hoc sæculum intelligit, in quo Beata Virgo nullam habuit corruptionem corporis, vel animæ, vivens vel mortua. Ait enim: *Quoniam non dereliquisti me in sæculo, nec dabis corpus genetricis tuæ videre corruptionem.*

Psalm. 15. vers. 20.

Homil. 7. de B. Virgn.

Sed quid immoramur? Nonne se continuo offert vtriusquè dissimilitudinis ratio, quantumquè diversa fuerit Fidei causa, & meritum Beatæ Virginis, & Enoch? Nec comparationem aliquam admitti posse? Translatus est *Enoch* pro Fide sua, vt beatè viveret postea moriturus. Assumpta est *Maria* in Cœlum corpore, & anima numquam moritura. Translatus est *Enoch*, vt postea adversus Ante-Christum pugnet, & dimicet. Assumpta est *Maria* in Cœlum, vt ibi omnes evellat, & de-

struat

ſtruat hæreſes, & hæreticos. Translatus eſt *Enoch*, vt poſt conſumationem ſæculi pro meritis ſuis ſedem cœleſtem accipiat. Aſſumpta eſt *Maria* in Cœlum, vt omnibus Cœleſtibus Civibus præſit, & ad dexteram Filij ſui ſedens, regnet cùm Filio ſuo in æternum iuxta illud David. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſti tutũ deauratio circũdata varie tate.* *Pſalm. 44. verſ. 10.* Translatus eſt *Enoch*, ſicut alius Vir iuſtus, & ſervus Dei, vt pro fide ſua, ſuo tempore fœlicitate æterna potiatur. Aſſumpta eſt *Maria* Virgo, vt Mater credentium; quæ pro Fide ſua, Dei Maternitatem merens cùm Filio ſuo hanc infinitam dignitatem in Cœlis poſsideret. Nonne clarè patet, diſparitatis ratio? Et ſi Enoch ante translationem ſuam teſtimonium habuit placuiſſe Domino. Quid dicemus de Maria? Nonne pro ſe maius teſtimonium habet; quòd eſt Eccleſiæ Sanctæ, Spiritu Sancto gubernatæ, & edoctæ affirmantis eam ſolam ſine exemplo placuiſſe Domino noſtro Ieſu Chriſto, ita recitamus in Antiphona quadam Officij parvi Beatæ Virginis: *Beata Deigenitrix Maria, Virgo perpetua, Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti, ſola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto.* *Antiphon. ad Benedictus Officij parvi Beatæ Virginis.* Ergo ſi ſine exemplo aliorum; ipſa ſola magis, quàm alia creatura placuit Domino, maius teſtimonium habet pro ſe, quàm iuſtus Enoch.

***

§. III. A

§. III.

FIDES BEATÆ VIRGINIS celebrior illa NOE.

Ad Hæbr. 11. verſ. 7.

FIDE NOE, reſponſo accepto de ijs quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit Arcam in ſalutem domus ſuæ, per quàm damnavit mundum: & iuſtitiæ, quæ per Fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.

Merito Fides Patriarchæ Noe ab Apoſtolo laudatur, quia ita Domini præceptum complevit, vt facto ſuo omnes viventes poſt diluvium ſalvarentur in terra, & genus humanum gratum ſe ſemper illi debeat exhibere; ſed non ita vt Fide Virginis Beatæ ſublimior, imò nec æqualior debeat confiteri; cùm in multis diſsimilem, & minorem inveniamus.

Noe iuſſum eſt Arcam ex lignis fabricare, vt in eà ſalvaretur genus humanum, & Fide ſua, licèt metuens, fabricavit Arcam. *Beata Virgo* ex viſceribus ſuis modo mirabiliori, & ſupernaturali non metuens, ſed potiùs excellenti Fide prædita Angelico annuntio credens aptavit Arcam, ideſt corpus dominicum; à quo genus humanum redemptionem accepturum erat. *Noe* in Arca cùm Filijs, & Filiabus ſuis, & cunctis animantibus ſalvi facti ſunt evadentes pro tunc temporalem mortem. In Arcà *Maria* ſalvi facti ſunt peccatores ne in æter-

nam

nam mortem,& perpetuam damnationem inciderent, & Diaboli regnum destructum fuit. Arcæ *Noe* ostium foris clausit Dominus nequis inundaretur. *Mariæ* Arcam non solùm Dominus foris,& intus clausit ne peccatis obrueretur,sed etiam ipsa Virgo intus,& foris eàm clausit, ne aliqua posset labe maculari. *Noe* aptavit Arcam in salutem domus suæ. *Beata Virgo* aptavit Arcam, scilicet, corpus Domini, non solùm in salutem domus suæ, sed totius generis humani. *Noe* per Fidem hæres est institutus. *Beata Virgo* Angelico præcedente annuncio de his, quæ illi eventura erant in Incarnatione Verbi,quæ non solùm non videbantur, sed potiùs naturali rationi contrariebantur, omnibus consensum præbens Arcam aptavit Salvatori. Et si ille,qui maiora consequitur, maiorem Fidem habuisse credatur, ex relatis quàm sublimiorem, ipsa Fide Noe,habuerit Virgo Maria, non erit difficile iudicare.

Non solùm ex nostro,sed etiam ex aliorum iudicio hanc diversitatis rationem Fidei Beatæ Virginis,& Patriarchæ Noe iustum videtur confirmare: Agnoscamus in primis Noeticam istam Arcam Mariæ Virginis figuram in multis extitisse; vndè fuit illud Anonymi in Rythmo ita psallentis, & Virginitatem tantæ Matris demonstrantis.

*

Anonymus de laude Virginitatis.

Hæc est Arca Testamenti
Noe portans in præsentis
Maris huius fluvio;
Quàm Messias introivit,
Et intactam custodivit,
Clauso foris ostio.

Hanc etiam Virginitatem, & puritatem Arcæ bitumen significat de quo Berosus Chaldæus à Treculpho Authore gravi, & antiquo relatus ait, homines quosdam illud tollere consuevisse, illoquè vsos ad expiationem; sed reiecta superstitione, sanctiori ritu edocemur, vt ad animatæ Arcæ nostræ expiationem, & conservationem Virginitatis, & totius puritatis bitumine vtamur, & integritatis summę, Deiparæ Virginis Mariæ cogitatione abstergamus maculas cordis, & corporis, & expianda non committamus.

tom. 1. lib. 1. cap. 25.

Duplex Arcæ linitio, duplicis Virginitatis, quæ corpus, & animam Mariæ linivit, significat, quare in hac Arca nos recipere debemus, vt dilubium evitemus: ideo Noe in lignea illa Arca quàm fabricaverat, viri, & fœminæ in illam ingressi, separatim ingressi dicuntur, ibiquè castitatem servasse, vt notavit Sanctus Ioannes Damascenas, ibi: *Vt castitatis adminiculo pelagus, atquè universum illud mundi naufragium effugerent.* Et linitio fuit intrinsecus, & extrinsecus per quòd ostenditur vtraquè castitate tamquàm bitumine, Beatam Virginem fuisse munitam, vndè Ricardus opportunè loquens de hac

Lib 4. de Fide Oredodoxa, cap. 25.

hac Noe Arca, & Beata Virgine iuxta prædicta, sic ait: *Linita bitumine castitatis carnis, & spiritus sicut Arca Noe, cui dictum est, Genes. 6. Linies Arcam extrinsecus, & intrinsecus.* *De laudibus Virginis, lib. 11.*

Nihil mirum, vt Beata Virgo Noe Arcæ comparetur, cùm etiam præferatur, quòd attentè considerans Sanctus Chrysippus Presbyter, sic scribit de laudibus Virginis Mariæ: *Illa erat animalium Arca, hæc autem Arca vitæ incorruptibilis. Illa ipsum Noe. Hæc verò ipsius Noe factorem portavit. Illa duas, & tres contignationes, & mansiones habebat. Hæc autem universum Trinitatis complementum.* *Homil. de laudibus Virg.* Non ergo omittamus aliam Beatæ Virginis excellentiam, pietatiquè suæ debitam laudem in hac Arcæ Noe similitudine, nàm si illa, animalia, & bruta in se continuit, non in alia mutavit; at nostra vivifica Arca Maria, homines brutorum more viventes, in Angelos mutat. Quàm ergo amborum Fidei dissimilis ratio?

§. IV.

FIDES MARIÆ LAVDAbilior, & sublimior ABRAHÆ Fide.

FIDE, *qui vocatur ABRAHAM obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exijt nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tamquàm in aliena, in* *Habreor. 11. vers. 8.*

casulis habitando cùm Isaac, & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem Civitatem cuius artifex, & conditor Deus.

Adversus Brentium, Culmanum, & alios hæreticos, eorum sequaces non solùm exæquantes Beatam Virginem Matri nostræ Evæ, sed Fidem suam Abrahæ Fidei comparantes, in primo huius tractatus capite egimus, ibiquè quàm dissimilem in credendo vtriusquè fuisse causam licèt passim tetigimus, nunc autem, vt in principali loco hoc idem repetimus, vt classim magnitudo, & excellentia Fidei Virginis respectu aliorum apertius extollatur. Et cùm istius magni Patriarchæ Fides in Scripturis Sacris, diversis in locis, ita magnificè laudata inveniatur merito de ea iterum loqui conceditur, & Beatæ Virginis Fidem iuxta illam Patriarchæ Abrahæ positam illustriorem demonstrare, vt postea omnium illorum Patriarcharum pro Fide sua laudatorum, Fidem Virginis sublimiorem confiteri teneamur, nàm quidquid est superius superiore, est etiam multo magis superius inferiore, vt in iure, & authoritate Philosophi argui solet; & ex ijs cōmuné illud axioma: *Si vinco vincentem te à fortiori vincam te.*

Argum. legis de accessionibus ff. de diversis, & tempor. præscript. cap. expec. de Decimis extra.

Et si omnibus nota est illa numquam satis laudata Fides Patriarchæ Abrahæ; notum etiam est quantum in sua Beata Virgo longa intercapedine excessit, longequè superavit. Nàm si ille magis credit, qui magis opposita rationi, visui, & intellectui credidit, in plurimum, & sine differentia Beatæ Virginis Fidem Abrahæ excessisse, clarè apparebit.

bit, *Abraham* Saram, cùm esset sterilis, & annis parituram credidit. *Beata Virgo*, se futuram Matrem salvo suę Virginitatis claustro credidit. *Abraham* credidit ex se, quamvis viro sene esse fœtum concipiendum. *Beata Virgo* credidit sine viro posse concipere Filium. *Abraham* credidit Angelo se geniturum hominem. *Beata Virgo* credidit Deum, & hominem esse parituram. *Abraham* credidit, habiturum Filium, sed concipiendum, & parturiendum communi, & vsitato naturæ ordine. *Beata Virgo* præter omnem vsum naturæ, cooperante Spiritu Sancto credidit concepturam divinam, & humanam prolem. Nonne videtur quàm dispar credendi ratio sit vnius, quàm alterius? Et quanto maiora, & captum nostrum superantia credidit Beata Virgo Mysteria quàm Abraham Patriarcha. Ergo si ille pro sua Fide ita laudatus existit; sine comparatione Beata Virgo pro sua laudabilior redditur? Et si ille, quia credidit, reputatum est ei ad iustitiam, quid non pro sua ita eximia, & inenarrabili Fide Beatæ Virgini conferendum non existimemus? Et si excessisse huius Virginis Fidem ita apertè noscũt inimici, cur æqualem solum simulant? Sed pro excellentia illius, etiam Fidei Abrahę comparatæ iuxta Divi Pauli sententiam fusius protrahamur.

Lucæ 1. vers. 35.

Genes. 15. & 17.

Ad Rom. 4. vers. 3.

Exire de terra sua præceptum fuit Abrahæ, & Fide sua fretus mandatum explevit. Angeli monito in somnis Beato Ioseph apparentis, & de persecutione Herodis annuntiantis, Beata Virgo de Nazareth in terram Egypti cùm Sponso suo, & Filio Iesu migravit, multaquè in itinere illo per maximo,

Matth. 2.

&

& solitario, sufferendo calamitates, ibiquè manserũt vsquè ad mortem Herodis, viventes in paupertate, sine propria domo, & non solùm parentum, & amicorum carentes auxilio, sed vt ignoti nullum ab hominibus iuvamen sperantes.

Luca 2. vers. 38. Etiam Beata Virgo, statim vt ei Archangelus Gabriel Incarnationem Verbi annuntians, ab ea discessit, Spiritu Sancto ducta cùm festinatione in montana Iudeæ in Civitatem Iudà advisendam, & salutandã Beatam Elisabetham profecta est, vt congratularetur fœtũ divinitus in senectute sua susceptum, ibiquè tot Domini misericordiæ operarentur, vt in hac visitatione patratę in sacris litteris memorantur.

Quantum in itineribus istis Fides Virginis resplenduit, illustriorquè Abrahæ existat, ex sequentibus apparebit. *Abraham* licèt ex terra sua exijt, ex mandato Domini exijt, & præcedente securitate Domini terræ promissæ. *Virgo Beata* non pręcepto Domini, sed solùm Ioseph Sponsi sui credens dicto reliquit propriam domum, & Egyptum perrexit cùm Filio suo, & Sponso, non vt ibi vt propriam; imò vt exules, vsquè ad Mortem Herodis terram habitarent. *Abraham* cùm Filijs suis Isaac, & Iacob in casulis habitabat. *Virgo ipsa* cùm charissimis suis Filio, & Sponso propter suam nimiam paupertatem, vbi concedebatur, incola permanebat, & non in propia terra, vt Abraham. *Abraham* iàm homo, & in provecta ætate ad terram promissam cursum fecit. *Virgo Beata* pauper, enixa, delicata, & Mulier in Egyptũ iter arripuit sine temporis præfixione incolatus sui, firmiter credens hoc ita,

con-

convenire iuxta Angelicum annuntium in somnis Ioseph Sponso suo factum.

Firmatur etiam Fides Virginis ex Elisabeth Visitatione consobrinæ suæ, nàm solùm ex Spiritus Sancti interno affatu, sola, & sine Sponsi sui societate (iuxta aliquorũ sententiam) viam ita arduam, asperã, viginti duobus millibus passuũ versus Austrũ ad Hierusalem assumeret; ibiquè per tres Menses maneret, vndè Fides eius persulget maximè cùm non ex Dominico iussu hoc fecerit, vt Abraham, sed solùm ex nutu, & eius præsumpta voluntate, & Spiritus Sancti inspiratione; vndè colligi valet, quanto difficiliora Virgo Maria apprehenderet, si voluntas, & mandatum Domini accederet, cùm semper voluntatis Domini fida custos, & observatrix fuerit.

§. V.

SARÆ FIDE, BEATÆ VIRGINIS Fides sublimior.

FIDE, & ipsa SARA sterilis virtutem in Conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromisserat. *Hæbreor. 11. vers. 11.*

Cùm Fide Mariæ Virginis, non est vt Fidem Saræ comparemus, nàm præter id quòd Beata Virgo imposibiliora, & vt vsquè inaudita credidit, quàm

quàm Sara; ex Fide sua præmium est asecuta, in vtero suo verbum concipiens; at Sara magis ex Fide Abrahæ, qui in sua Isaac concepit: vt Ioannes Lanspergius pijssimus Author notavit; cuius verba huc advocavimus: *Saram vtiquè benedixit Deus, quatenus iàm veterana, & quidem nonagenaria vtero hactenus infœcundo, iàm ex marito centenario Isaac non sine munere Dei susceptum cùm maximâ vtriusquè lætitia suscepisset, cùm desideratissimi fœtus perfecta Abrahæ Patriarchæ Fides, & vnius Dei cultus causa fuit.* Hocquè confirmatur; nàm cùm Angelus Abrahæ pro Sara peteret, dicens: *Vbi est Sara vxor tua?* Respondit Abraham: *Ecce in tabernaculo est.* Et statim Angelus dixit: *Revertens veniam ad te tempore isto, vitâ comite, & habebit Filium Sara vxor tua.* Sic, & Virgo, cuius Sara figura fuit, cùm in cubiculo esset, ingreditur ad eam Angelus, & Dei verbis credēs Dei Mater effecta est.

Serm. in festo S. Annæ.

Genes. 18. vers. 9. & 10.

§. VI.

BEATÆ VIRGINIS FIDES non minor illa Patriarchæ JACOB.

Hæbreor. 11. vers. 21.

FIDE IACOB moriens, singulos Filiorum IOSEPH benedixit, & adoravit fastigium Virgæ eius.

Non

Non minor Mater Virgo Maria censenda est; & prædicanda respectu illorum quos charitas sua, doctrina, vita, & orationes Domino pepererunt, quàm quos Iacob, & Ioseph natura dedit. Hanc Maternitatem Christus Dominus pendens in Cruce Virgini confirmavit, quando mæstam illam, & iuxta Crucem lacrymosam aspiciens, & dolens, ita affatũ esse Dominũ Ioãnes narrat: *Mulier ecce Filius tuus*; & postea Ioanni: *Ecce Mater tua*. Nàm ex illa hora Ioannem pro Filio in Domino habuit, & in illo omnes Fideles, vt docuit Sanctus Bernardinus Senẽsis, ibi: *Intelligimus in Ioanne omnes animas electorum, quorum per dilectionem Beata Virgo facta est Mater.* Et Ioannes ex eadem hora; *eam accepit in sua*; & nos in nostra etiam debemus accipere. Vndè Mater Filiorum effecta est Sancta Virgo; nàm licèt vnicum genuerit Filium nempè Iesum Christum Dominum nostrum, in illo omnium Mater facta, vnicum illum in eius membris amplectens, & in omnibus membris Filium illum, vt eleganter Guarricus Abbas exponit, dicens: *Ipsa tamen vnica Virgo Mater, quæ se Patris vnicum genuisse gloriatur eundem vnicum suum in omnibus membris eius amplectitur, omniumquè in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit Matrem se vocari non confunditur.* Vndè pro consolatione nostra sciendum est, quòd postquàm Christus Mariam nostri Matrem constituit, statim sitire dicitur, nempè, salutem generis humani, ac si auxerit sitim Virgo postquàm humani generis Mater effecta est; sitivit Filius, quia sitiebat, & Mater, & Matris sitis Filij sitim au-

Ioannes 19. vers. 26. & 27.

to. 1. ser. 55. c. 3

Serm. 1. 1. de Assumption. Virgin.

xit, sicut, & Filius sitire Matrem fecit hominum salutem, hac enim potissimum de causa iuxta, Filij Crucem stare, notavit pulchrè Ricardus: *Sicut* (inquit) *in salutem humani generis in Cruce sitivisti, Ioannis 19. Sic, & ipsa sitivit; stabat enim iuxta Crucem non vt salutem humani generis expectaret.*

Lucæ 2. vers. 7. Non ex eo, & quòd per Lucam dicatur: *Peperisse Filium suum primogenitum*; intelligendum, nec credendum venit alios naturales Filios generasse (vt Hæretici blasphemantes supponunt) sed quia nos simul omnes spiritualiter parturijt; *vt sit ipse* (scilicet Christus) iuxta Divum Paulum, *primogenitus in multis fratribus.* Quo respexit idem Ricardus cùm dixit: *Mater nostra Maria, quæ licèt non nisi vnicum Filium carnalem genuerit, in eo tamen spiritualis Mater effecta est magnæ multitudinis Filiorum, quorum primogenitus Christus; vndè signanter dictum est, Lucæ 2. peperit Filium suum primogenitum.* Et post pauca: *Sicut enim Eva dicta est Mater omnium viventium vita naturæ, Genes. 3. Sic Maria Mater omnium viventiũ vita gratiæ; ipsa enim propter hoc figurata est per Saram, quæ licèt non nisi vnicum Filium carnaliter pepererit Abrahæ, tamen Mater dicta est totiũs populi Israelitici; vndè Isai. 55. dicitur Iudæis: Attenditè ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.*

Romanor. 8. vers. 29.

lib. 2. part. 1.

Videamus nunc, an etiam Fide sicut Iacob, Beata Virgo Filios suos spirituales ante dormitionem suam benedixerit, vt in totum Materni sui affectus, & amoris insignia nobis reliquisset. Hoc ita factum,

ra-

ratio suadet, & piè credendũ venit, maximè si assentiamus Perbarto quia, inquit: *Quando Apostoli per nubes sublati à locis in quibus prædicabant, ad Virginem in dormitione eius convenerunt, & domum introgressi Beatam Virginem reverenter salutantes, adoraverunt dicentes. Ave Dei Mater, Gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tu.* Et Beatam Virginem ita respondisse: *Avete Discipuli vnigeniti Filij mei.* *In stelario Corona Virgin. lib. 10. par. 5. art. 1.*

Et cùm Mater delectetur in Filijs (vt inquit Pisanus) *proculdubio, & Virgo in Apostolis quos vt Filios diligebat.* Quare ad instar veræ Matris ante suum ex hoc Mundo ad Cœlestem patriam discessum voluit eos videre, & benedictionem suam impartire (vt piè considerat Marratius) eorumquè præsentia lætificaretur; quæ per eos suus gesserat Filius, audiret; & eorum ipsis somnum suæ dormitionis Dei magnalia effantibus acciperet. *Bartholomæus Pisanus de laudibus Virginis, lib. 5. fruct. 7.* *Hippolyt. Marracius Apostoli Mariani.*

Magis Fides Mariæ in hoc facto illustratur, cùm ab omnibus sit receptum Apostolos cùm primarijs recentis Ecclesiæ viris, Mariæ morienti ad fuisse, eiquè defunctæ dignum funus, honorificasquè exequias celebrasse, ita præter Damascenum, Metaphrastem, Nicephorum, Glycam, Michaëlem Syngelum, Magimum, Abbatem, & alios Græcos Scriptores cùm pluribus latinis tenet Dionysius Areopagita scribens ad Timotheum Ephesinum, Episcopum: *Quando quidem* (inquit) *apud ipsos quoquè nostros à Deo afflatos sacrorum Principes, quando nos quoquè, vt ipse nosti, & multi ex nostris sacris fratribus ad videndum corpus, quòd vitæ princi-* *Epist. ad Thimotheum.*

 pium

pium dedit, & Deum suscepit, convenerant (aderat autem Dei quoquè Frater Iacobus, & Petrus; qui erat Theologorum suprema, & antiquissima summitas) visumquè est, vt post illud spectaculum omnes sacrorum Principes Hymnum canerent, & laudarent, prout poterat vnusquisquè, infinitam bonitatem divinarum virium. Hocquè clarius, & apertius Damascenus enarrat: *In Sancta quidem* (inquit) *& divinitus inspirata scriptura de decessu Sanctæ Deiparæ Mariæ nihil traditur, ex antiqua autem, & verissima accepimus traditione, quòd tempore gloriosæ eius dormitionis, vniversi quidem Sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium obibant, momento temporis in sublimi sublati, convenerunt Hierosolymis.*

De Deipara Maria, lib. 5. cap. 3. Arguit Canisius, quòd sibi per miraculum, vel sine miraculo ad Mariæ mortem Apostoli convenerint; divinæ dispensationis hoc opus vtiquè proprium fuisse, in quo Christus suam erga Matrem curam, & dilectionem insigniter declaravit; nonne clarè videtur, quantum profuit Beatæ Virginis Fides? Excelsiorquè Iacob extiterit; cùm Dominus per vtramquè, tàm diversè fuerit operatus.

Nunc restat factum illud Iacob osculantis Virgam Ioseph interpretationi donandum, communis expositorum censura est iuxta litteralem sensum. Quòd Iacob non in Egypto, sed in Chanaam sibi, suisquè promissa, sepeleri optabat, & à Ioseph, vt id ipsum curaret, postulabat, annuit Ioseph, promisitquè Patri, se id curaturum: Iacob ergo voti com-

compos, lætus gratias egit Ioseph Filio suo dilectissimo, & curvando se, veneratus est sceptrum, id est, Regiam potestatem Ioseph, à Deo illi datam, ac consequenter Deum datorem potestatis huius, vel maximè veneratus est, & adoravit. Quia Ioseph secundus erat à Pharaone, & quasi alter Egypti Rex.

Propheticè (iuxta expositionem Divi Chrysostomi, & Theodoreti) fecit hoc Iacob, prævidens ex Ioseph nascituros Reges, qui gererent sceptrum Israel, sive decem Tribuum in Samaria. Hinc adoravit sceptrum Ioseph; quasi innuens, & vaticinans ex Ioseph nascituros Reges, quos subditi quasi Reges colerent, & adorarent.

Sed quòd ad rem nostram attinet, & quòd occultiori Mysterio latet, repræsentatio est, & confessio Incarnationis Verbi in hoc facto clarius prænotatæ, & annuntiatæ, sensuquè allegorico accommodatè. Virga est processio Beatæ Virginis iuxta illud Isaiæ: *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendens.* Virga est Maria, Radix Iesse, flos Virge Virginitatis Mariæ, & requiescet super eam spiritus Domini, id est, Verbum Dei, nàm Filius requievit in Tabernaculo suo, assumens ex virtute Spiritus Sancti ex suis visceribus sanctissimam, & purissimam carnem, manens per novem mensium spatium in vtero, & cœlesti thalamo suæ Matris. Ita Sedulius in hunc locum, & Procopius in Genesim tenuerunt; sed non minus eleganter doctus, & in omnigena litteratura maximè versatus Pater Cornelius à Lapide societatis Iesu in hunc sensum venit, dicens: *Id fecit Iacob Fide credens*

Isaiæ 11.

In cap. 11. epist. Pauli ad Hæbre.

In Genes. cap. 47.

In cap. 11. epist. Pauli ad Habreos.

dens Christum ex Virga Iessea, & Israëlita, scilicet, Beata Virgine; ac consequenter ex se ipso nasciturum huius ergo Virgæ caput, id est, Christum, Samaritanum nostrum cuius typus erat Ioseph veneratus est Iacob: atque hæc fuit potissima causa cur Iacob Iosephum adiurarit, vt se sepeliret in Chanaam nasciurum, & resurrecturum, seque cum Christo in die Paschatis cum alijs Sanctis Prophetis, & Patriarchis ibidem resurrecturum credebat & sperabat, iuxta id, quòd contigit (Matthæi 27. vers. 52. vnde Alphonsus Abulensis in cap. 47. Genes. ab omnibus (inquit) Catholicis creditur quòd inter alios qui cùm Christo resurrexerunt etiam Iacob Patriarcha resurrexerit.

§ VII.

BEATÆ VIRGINIS FIDES sublimior illa JOSEPH Patriaachæ.

Habreor. 11. vers. 22. *FIde Ioseph moriens, de profectione Filiorum Israël memoratus est, & de ossibus mandavit.*

Duo hic solùm de Fide Ioseph morientis Paulus magnificat, nempè profectionem Filiorum Israel, & funeris corporis sui memoriam, posteris suis commendatam. Duo hæc in Beata Virgine (si nos nostra non fallit opinio) pleniùs, & perfectiùs com-

completa videmus, si assensum Amadeo præstemus; qui Beatam Virginem ante transitus sui horam Apostolis sacris, & Discipulis Domini ibidem congregatis ita alloquentem, & exhortantem proponit: *Ad genitorem genitrix pergo, à vobis Filioli mei, hodie discedo. Corpore nunc vos dimitto, & animo non derelinquo. Panem Sanctum pariter frangamus, carnem Filij mei simul comedamus:* Accepto autem corpore, & Sanguine Domini ab omnibus, iterum dixit: *Ecce cibum vitæ accepistis, non esurietis, nequè sitietis, quousquè me sepelietis, & in Cœlum ascendere me videbitis: in domo mea alios cibos non habetis, nec videtis.* Et omnes erant communione illa confortati, & corroborati, ac si delicatissima quæquè cibaria sumpsissent: nequè alio cibo illis diebus vsi sunt, sufficiebat enim illis esca illa, & ille panis vivus. Dixit ergo Maria: *Constantes estote, firmi, & fortes, quia multas persecutiones pro nomine Iesu opportet vos pati, vt tandem corpore soluti, gloria paradisi potiamini. Filius meus à vobis discedens, se ipsum vobis vsquè ad consummationem sæculi, in hoc Sacramento reliquit, quòd nulli alij corpori congruit: ipse enim Filius meus est panis, & cibus, vinum, & potus animarum. Notum vobis facio filioli mei, quòd gratia Dei, & Domini mei Iesu Christi, etiam ego ero vobiscum vsquè ad consumationem sæculi, non quidem in Sacramento; quia hic non licèt, sed in imaginibus pictis, & sculptis, & tunc scietis, quòd ego sum præsens illi imagini, quando ibi fieri miracula videbitis.* Deinde dixit: *Præceptum Domini, & mandatum est vnicum (scilicet) vt dili-*

In suis Revelationibus, raptu 8.

ga-

gatis invicem propter ipsum, & omnem dilectionem vestram referatis in ipsum Deum. Corpus meum in medio Vallis Iosaphat sepelitè; vbi est lapis, & sepulchrum lapideum novum, in quo nullus adhuc positus est, nequè inde recedatis, quousquè anima iterum vniatur corpori meo. Benedicat vobis omnibus, Deus Pater, benedicat vos Deus Filius, & benedicat vos Deus Spiritus Sanctus. Valete omnes, & Mariam in vos clementissimam, & numquam vos, aut genus vestrum oblivioni tradituram pro certo cognoscetis. Clarius inde patet non minus duo prædicta officia, quæ in Fide Ioseph laudabilia existimat Paulus, laudabilius à Beata Virgine executa videri, sed plenius esse magnificanda.

§. VIII.

MARIÆ FIDES LONGE perfectior quàm MOYSI.

Hebreor. 11. vers. 23. *FIDE MOYSES natus occultatus est mensibus tribus aparentibus suis, eo quòd vidissent elegantem Infantem, & non timuerunt Regis edictum.*

Moyses Legislator maximus, Populi Domini Dux strenuus: *Dilectus Deo, & hominibus cuius*

Ecclesiast. 45. vers. 1. 2. 3. *memoria in benedictione est similem fecit illum Dominus in gloria Sanctorum, & magnificavit eum*

eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit: glorificavit illum in conspectu Regum, & iussit, illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. Hoc inter alia de laudibus Moysi in Ecclesiastici libro ad litteram scriptum habemus; sed etiam *in Fide, & lenitate ipsius, sanctum fecisse illum, Dominum* post pauca sacra littera docet: Vers. 4.
vt ad Hæbreos Paulus dicit: *Et Moyses quidem Fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Christus verò tamquàm Filius in domo sua: quæ domus sumus nos si fiduciam, & gloriam spei, vsquè ad finem, firmam retineamus.* Et numeror. 12. idem attestatum videtur ex ore ipsius Domini, ibi: *At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.* Vndè videtur quantum pro Fide sua commendatus apud Dominum Moyses existat, quantumquè in illa profuisset, posteris illius exempla, non minima relinquens. Sed si attentè illius cursum, & vitam respicimus, inveniemus post ostensionem locorum terræ promissionis Moysi à Domino factam, vt in Deuterenomio legitur, illa frui, nequè eam ingredi, permisit, sed iubente Domino, mortuus fuit ibi, sic textus sacer: *Dixitquè Dominus ad eum. Hæc est terra pro qua iuravi Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusquè est ibi Moyses servus Domini in terra Moab contra Phogor.* Sed nunc inquirendum, quæ esset causa, vt Dominus ingredi illuc Moysi servo suo negaret? Et si bene attendatur, incredulitatis fuisse aliquæ rationes non parui pon-

Hebr. 3. vers. 5.

Nu. 12. vers. 7.

Deuter. 1. vers. 4.

deris ad credendum inducunt. Prima, quòd populus frequenter hoc peccato laborabat, & non adeptæ promissionis terræ hanc fuisse potissimam causam idem Moyses populo exposuit, cùm dixit:
Deutor 1. vers. 10. *Bona est terra, quàm Dominus Deus noster daturus est nobis. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri murmurastis in tabernaculis vestris.* Et consequestus Moyses se etiam hac fruitione, & possessione repulsum, &
Vers. 37. privatum extitisse populo confitetur, dicens: *Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoquè iratus Dominus propter vos dixerit. Nec tu ingredieris illuc.* Secunda ratio est, quia iuxta expositionem, & intelligentiam Divi Augustini, & aliorum Expositorum, quando Moyses alloquens populum, & eius incredulitatem arguens, dixit: *Au-*
Num, 20. vers. 10. *dite rebelles, & increduli, nunquid de petra hac poterimus vobis aquam educere?* Licèt de promissione divina erat certus, qui dixit: *Loquere ad Pe-*
vers. 8. *tram, & ipsa dabit tibi aquas.* Dubitando locutus est propter incredulitatem populi, ne Deus propter eam promissionem revocasset, & ita verbis Amphibologicis vsus est; vt si promissum non impleretur populi dubitationi, & infidelitati posset
Quæst. 11. in Nu. & lib. 16. contra Faustũ, cap. 16. & super Psalm. 105. vers. 32. attribui; ita Sanctus Augustinus diversis in locis sentit, quem sequuntur Chrysostomus, Euthimius, Lindanus, & Genebrardus in expositione Psalm. 105. vers. 32. in illis verbis: *Et irritaverũt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius, & distinxit in labiys suis.*

Merito igitur Fides Beatæ Virginis præstantior,

&

& laudabilior Moyſi Fide prædicanda eſt, cùm illa ſemper conſtans, & firma habita fuit, iſta aliquando evacuaſſe reperta eſt, nec immorandum in re ita manifeſta licèt.

§. IX.

MARIÆ FIDES EXCELſior illa Ducis JOSVE.

FIde muri Ierichò corruerunt, circuitu dierum ſeptem. *Habreo. 11. verſ. 30.*

Iure optimo Ioſue populi Domini poſt Moyſi mortem Ducis in Sacris litteris magnificatur Fides, præcipuè cùm ei apparens Angelus evaginato gladio; prædixit poſt ſeptem dies dirutionem Civitatis Ierichò, iuſitquè circuire vrbem à bellatoribus exercitus Iſraël, hocquè fieret ſemel in die per ſex dies continuos, & ſeptimo tollerent Sacerdotes buccinas ſeptem quarum vſus erat in Iubileo, & præcedentes Arcam fœderis, ſepties circuirent Civitatem, & clangerent buccinis, & cùm inſonuiſſet tubæ vox longior, & conciſior, & audiretur à populo, clamaret omnis populus vociferatione maxima, & tunc muri Civitatis Iericho funditus corruerent, & ſinguli per loca, contra quæ ſtetiſſent, ingrederentur Civitatem. Quæ licèt ad hanc victoriam aſſequendam reſpectu naturalis diſpoſitionis creditu difficilia Ioſue duci poſſent *Ioſue 5. & 6.*

videri, sine hæsitatione (duce in primis illius magna Fide) ita Angelico promisso acquievit, vt illico prædicta omnia, vt ab Angelo ei erant proposita, & annuntiata opere compleret, quo fit, vt assignato die victoriam nancisceretur, captaquè fuisset à Filijs Israël Civitas Ierichò, præmiumquè debitum Fidei suæ Dux, & Imperator validissimus Iosue cõsequeretur sibi.

Sed quid ad Mariæ Fidem? Nonne Beata Virgo Fidentius in omnibus se gessit? Si *Iosue* Angelo credidit pro victoria Filiorum Israël contra Ierichò, *Maria* credidit Angelo pro victoria totiùs generis humani contra Diabolum, qui omnes nos oppressos habebat. Si *Iosue* credidit miraculose victoriam esse consequendam. *Maria* etiam miraculosè, & modo inefabiliori, hoc Mysterium Incarnationis fore patrandum credidit; *Iosue* in alijs hoc fieri novit, *Maria* in se hoc inauditum Arcanum locum habere cognovit. Nonne clarius videtur, quàm dispar sit vtriusque Fidei ratio, quantumvè Virginis Mariæ. *Iosue*, & aliorum Fides excedat? Sed vltrà prædicta, nonne Maria Deipara toto hoc facto figurata invenitur? Quomodo non in excellentiori modo Fides eius præcinenda erit? Attendat lector, si fortè intentum probemus. Damnat Deus Civitatem Hericò ad desolationem æternã absquè spe reædificationis: maledixit simul illum, qui eam ædificaverit, ita legitur in libro Iosuè: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit Civitatem Ierichò.* Sed cur ista maledictio magis Ierichò, quàm alteri Civitati, quæ iuste promeruit divinam indignationem?

cap. 6. vers. 26.

nem?

nem? Pie, & non sine fundamento, ideo Ierichò hanc damnationem passa videtur, quia spatio septem dierum Arca Domini (figura Mariæ Virginis) circuiuit Civitatem, & in conspectu tantæ Matris Civitas illa semper rebellis, & obstinata remansit, ideo iustè Civitas damnatur absquè spe veniæ. *Arcam* (inquit Divus Ambrosius) *quid nisi Sanctam Mariam dixerimus? siquidem arca intrinsecus portabat Testamenti Tabulas: MARIA autem ipsius Testamenti gestabat hæredem.* Serm. 8.

Nequè etiam damnatio Civitatis Hericò septimo die consumata Mysterio caret; nam vsquè ad septimum diem spes veniæ relinquebatur; sed qui septimo die, qui requiei dicitur, & dicatus B. Virgini Matri Misericordiç invenitur in suo peccato, & obstinatione permanet, & spem veniæ à se proijcit, & contemnit (vt fecerunt rebelles Ierichò habitatores meritò severè damnatur, & ab hoc beneficio exclusus iacet. Est etiam Virgo Maria: *Turris David, & mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quomodo non muri Ierichò (ea despecta) subito corruissent, omnesquè habitatores misere cecidissent? Cant. 4.

*

§. X.

§. X.

FIDE RAHAB SINE COMparatione maior illa Deiparæ Virginis.

Hebræor. 11. vers. 31. *FIDE RAHAB meretrix non perijt, cùm incredulis, excipiens Exploratores cùm pace.*

Digne laudatur ab Apostolo Fides Rahab, eiusquè charitas simul extollitur, cùm excipiens Exploratores in domum suam cùm pace salvos illos, & se ipsam postea fecit. Sed hæc Fides præmio non caruit, cùm etiam dicatur propter eam cùm incredulis non perijsse. Salvata fuit ergo Rahab meretrix per Fidem suam, laudet sortem, fœlici contineatur eventu, nec tantum Fidei suæ deferri debet, vt cogi posit de ea, quid amplius loqui, nàm cùm de Virginis Beatæ Fide tractemus, nec licèt, nec honestũ est de meretricis Fide sermonem facere, pudet nos etiam virtuti Virginitatis, & totiùs castimoniæ, quæ ita præfulget in Beata Virgine cùm obscœna voce inhonestę mulieris offendere, quare consulto omittimus de hac re aliquid dicere, vt si possibile sit impollutis labijs ad virtutes tantæ Matris proferendas procedamus. Nec mirandum quòd in Genealogia, & libro generationis Iesu Christi Domini nostri iuxta narra-

tionem Evangelistæ Matthæi apponatur ipsa Rahab cùm alijs tribus peccatricibus mulieribus nempè Thamar, Ruth, & vxore Vriæ, nec nominentur aliæ mulieres, nàm vt inquit Divus Hieronymus in hunc locum: *Ideo nulla Sanctorum assumitur mulierum, sed quas scriptura reprehendit; vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens omnium peccata deleret;* vndè ponitur Thamar, quę reprehenditur de socerino concubitu, & Rahab, quæ fuit meretrix, & Ruth, quæ fuit alienigena, & vxor Vriæ, quæ fuit adultera. *Matthæi 1.* *In Matthæum cap. 1.*

§. XI.

FIDES MARIÆ PRÆCLArior GEDEONIS Fide.

ET *quid adhuc dicam?* (prosequitur Paulus) *Deficiet enim me tempus enarrantem de GEDEON, BARAC, SANSOM, IEPHTE, DAVID, SAMVEL, & Prophetas, qui per Fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, &c.* *Hæbreo, 11. vers. 32.*

Gedeon Dux, & Iudex Israël, Vir fortissimus cùm in Domo Patris sui Ioas familiæ Ezri in terra Amorrhæorum excuteret, atquè purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian apparuit ei Angelus Domini sub quærcu, quę erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas Patrem suum, & salutavit *Iudic. 6.*

eum dicens. Dominus tecum virorum fortissimè, & cùm indicasset, quòd in fortitudine liberaturus erat Israël de manu Madian; licèt Gedeon de se humiliter sentiens, & ad rem ita magnam minimè aptũ se crederet, ministerium Ducis sibi oblatũ accipiens, pugnavit pro Israël contra Madian trecentis solùm viris, & victoriam magnam de Madianitis reportavit sola Fide, Angeli, & Dei promissione fretus.

Laudabilis sanè Gedeonis est Fides, sed mirabiliora, quæ ab eo ante ingressum belli facta narrantur; quæ licèt ad Fidem eius laudandam parum pertineant, imò in multis eius imbecillitas, & evacuatio denotetur, mysterijs sunt plena. Signum ad credulitatem petit Gedeon, tàm ab Angelo, quàm à Domino. Primò, quando dixit: *Si inveni gratiam*
Vers. 17. *coram te da mihi signum, quòd tu sis, qui loqueris ad me.* Et secundò, quando rorem in solo vellere pluere petijt à Domino, terra sica permanẽte, si verum esset, quòd ei ab illo erat promissum, scilicet, quòd per manum suam liberaretur Israël, ibi:
Vers. 36. *Dixitquè Gedeon ad Deum; si salvum facis per manũ meã Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in Area. Si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es liberabis Israel.* Iterato Gedeon aliud signum petit, vt vellus siccum esset, & omnis terra rore maderet, ibi: *Dixitquè rursus ad Deum: ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro vt solùm vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.*

Infirmitas credulitatis Gedeonis fuit, hæc iterata signorum petitio; nullam vmquam passa est Fides Virginis Mariæ. Angelo Incarnationis Verbi Mysteriũ annuntianti sine petitione signi credidit; non, *vndè hoc sciam?* Vt Zacharias Angelo Elisabeth conceptionem præsagienti, respondit; sed, *quomodo fiet*, quærit, vt citius consensum Fidei suæ accommodet, vt Venerabilis Beda notat: *Non ait* (inquit) *quomodo hoc sciam, sed quomodo fiet, inquit, ordinem videlicet, cui subdatur inquirens, non autem signum, cui credat flagitans. Nequè enim decebat electam generando Deo Virginem dubiam diffidentia, sed prudentia cautam existere.* Nonne videtur in summo vtriusquè Fidem distare, nec Gedeonis cùm Mariæ Fide aliquam posse accipere comparationem? Gaudeat Gedeon se in vellere suo figuratam habere Mariam, & alijs circunstantijs victoriæ adeptæ, ex Madianitis non minus plura eiusdem Virginis mysteria repræsentata præcipuè incarnationis Verbi. Petitio signi præter incredulitatem, tentationem includit: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra.* Dixit Dominus ad Achaz, & respondit Achaz: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Sed in præsenti non casu, sed mysteriosè tot petijt signa Gedeon, illaquè contraria; vt nunc vellus rore sparsum, & terra sicca appareret, nunc terra madens, & vellus siccum; nàm his duobus signis Incarnatio Verbi, & puritas Virginis fuerunt præsignata, & annuntiata. De primo loquitur David cùm dicit: *Descendit sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram;* id

Lucæ 1. vers. 18. vers. 34. In explicat. Lucæ. Isaiæ 7. Psalm. 71. vers. 6.

id est descendet Deus in ventrem Virginis, vt ex ea carnem assumat. Et sicca erit omnis terra, quia nulla alia creatura, præter Mariam, hanc infinitam dignitatem, vt Mater Dei sit, consequetur. In secundo, & contrario signo, vt vellus sit siccum, & terra madeat, demonstratur Virginitas Mariæ; & eius à peccato liberatio, siccum est vellus, quia nullum detrimentum Virginitas, & integritas sua perpessa est, nec vnquam serpentis venenosi subiecta fuit potestati: terra maduit; quia nullus præter illam mundus à sorde, sed omnes sicut aqua dilabimur, & peccatorum pōdere premimur, & fœditate eorum denigramur, at vellus istud (nempè Maria) per gratiam dealbatum ipsam albedinem candore, & puritate superans, nescit occasum; imò tenebrarum Principis imperium vicit, caput contrivit, & sub pedibus posuit. *Gedeonis vellus* (inquit Bernardus) *quòd vtiquè de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area porrigitur; & tunc quidem lana, nunc verò area perfunditur carnem illam de carne Virginis; & absquè detrimento Virginitatis assumptam designat.* Proculus etiam Constantinopolitanus: *Mariam facit mundissimum Cœlestis pluviæ vellus, ex quo Pastor ovem induit, quæ omnem peccati labem, & suspicionem excludat.* Et Tritemius: *Vellus istud* (Gedeodis videlicet) *Sacratissimæ Virginis, corpus est sine omnis carnis, macula. Cùm enim vellus sit in corpore, corporis nescit passionem: sic rore Spiritus Sancti vellus, id est Corpus Virginale complutum, nullum carnalis vitij sensit contactum.*

Homil. 2. de B. Virg.

Serm in Nativ. Deiparæ.

In Chronicor. Hirsebangiensi cap. 14.

Nec casu accidit, vt victoria Gedeonis ex Madia-

dianitis noctu accideret, nàm hoc idem eandem Verbi Incarnationem demonstrat. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret sermo divinus à Regalibus sedibus venit.* Proprius enim dicitur, verbum de Cœlo, & de sinu Patris descendisse per Incarnationem, & per ingressum in vterum Virginis, quàm per egressum Nativitatis ab illa in hanc lucem, atquè forsan ad hoc significandum antiqui Patres Divino instinctu permoti mediæ noctis tempore Christi adventum efflagitabant iuxta illud Davidis: *Media noctè surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ.* Vndè Divus Athanasius (quem quàm plurimi Scriptores sequuntur) docet salutationem Mariæ, & conceptionem Christi media noctè completa celebratam fuisse; quæ sententia varijs coniecturis confirmatur, easquè ad longum recenset Ioannes Cartagena in suo Mariali, ibi: *Primò; quia sicut media noctè Deus populum suum à Tyranica Pharaonis captivitate eduxit, & sicut media noctè Gedeon Madianitas devicit, & in fugam abire compulit; & sicut media noctè Angelus Domini primogenita Egypti interfecit; ita decuit, vt figura responderet figurato, media noctè concipi Christum, qui genus humanum à Diaboli servitute eruere, principem tenebrarum fugare, ac inordinatos carnis appetitus interficere venerat. Secundò, quia media noctè Verbo Divino humanam carnem suspiciente magis Divina Misericordia se ostentat, cùm summum omnium Incarnationis beneficium hominibus summa oblivione captis, & in vtramquè aurem dormientibus, libera*

Sapientiæ 18.

Psalm. 118.

Sermone de Deipara.

Tom. 1. *lib.* 5. *homil.* 2.

liter conferret. Tertiò, quia hora illa mediæ noctis propter eius secretum, quietem, & silentium aptissimum tempus erat, vt in ea abditissimum hoc Mysterium fieret: maximè cùm Beata Virgo solita esset in secretiori domus suæ loco maiorem noctis partem in contemplatione transigere, vt Simeon Casianus, his verbis demonstrat. Nox appendebatur ex medio, nec adhuc Virgo sua membra in quiete collegerat, vigilanté Angelus invenit. Quartò, quia Nativitas Christi Domini fuit media noctè, vt non obscurè indicat Evangelista Lucas, nàm postquàm dixisset. Peperit Filium suum primogenitum. Continuo subiungit. Et Pastores erant in eadem regione vigilantes, & custodientes Vigilias noctis super gregem suum. Vndè orta est, Ecclesiastica traditio sacrificium offerendi in illa noctè ex decreto Telesphori Papæ, vt notat Damasus Papa in suo Pontificali.

Lucæ 2.

***



§. XII.

§. XII.

SVBLIMIOREM FVISSE Beatæ Virginis Fidem illorum quos hic Paulus Apostolus fidelissimos laudat, ex sua met sententia colligitur.

ET hi omnes testimonio Fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, vt non sine nobis consumarentur. Hebræo. 11. vers. 39.

Hos autem omnes superavit Maria per quàm Fide triumphans, & triumphatura est de vniverso Mundo, & spes firma est pro Sanctis; defuncti autem sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites erant super terram. Maria autem propè aspexit in remunerationem, & invisibilem tamquàm videns substinuit, & nos per Mariam adepti sumus repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente per illam.

§. XIII.

§. XIII.

BEATÆ MARIÆ FIDES maior, quàm Centurionis.

Matthæi 8. APVD Matthæum legitur: *Quòd cùm Dominus introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo Paralyticus, & male torquetur, cui dixit Dominus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait. Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nàm, & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: vade, & vadit, & alij, veni, & venit; & seruo meo fac hoc, & facit. Quod audiens Iesus miratus est, & sequentibus se dixit; amen dico vobis, non inueni tantam Fidem in Israel, & dixit Centurioni vade, & sicut credidisti fiat tibi: & sanatus est puer in illa hora.* Hoc idem legitur apud Evan-

Lucæ 7. gelistam Lucam.

In Postilla circa Evang. Dominicæ 3. post Epiphaniam. Lutherus Erasmo asociatus ex hoc loco, & Verbis Domini: *Non inveni tantam Fidem in Israel*; non solùm non Fidem Beatæ Virginis Centurionis maiorem facit, sed nec veretur suspectam dicere, & Centurionem illi anteponere. Hæc verba generalia, ita generaliter intelligit, vt nemine demp-

dempto omnes in Iſraël habitantes comprehendere credat, ita vt nullus inveniretur, nec antea eſſet inventus in Iſraël, qui tantam quantam iſte Centurio Evangelicus Fidem habuiſſe deſcribitur, conſequeretur. Clarè demonſtratur in hac expoſitione, & textus Evangelij intelligentia Lutherum cũ ſocijs diſimulaſſe verum ab eis præcognitum ſenſum, ſed ſe vltro voluiſſe in clarioribus Fidei noſtræ veritatibus obnoxios, & oppoſitos oſtentari. Et ſi Beatæ Virginis Fidei detrahunt; quia ſuorum errorum deſtructricem, & interemptricem experiuntur. Quomodo ſingularem Fidem illorum Patriarcharum, & Prophetarum; Ioannis Baptiſtæ, Ioſeph, Simeonis, & aliorum tamquam omiſſam tacent? Nonne iſtorum Fidem ad minus Centurionis Fidei æqualem confiteri fas eſſet? Noſcant ergo Chriſtum Dominum in hoc loco ſuam collationem ad Iſraël, hoc eſt ad communem Iudæorum populum, maximequè præſentem aſtringere voluiſſe, & ſicut ſæpè aliàs, per Tropum Synechdochem, Rethoricæ figuram, in hoc vno Centurione, quaſi vniverſam Fidem gentium proponendo eandem perfidorum Iudæorum incredulitati opponere, quos Iſraëlitas Chriſtus cùm Centurione, & eius Fide conferat, prænotat doctè Pater Caniſius, ibi: *Quòd autem hac collatione Fide in gentibus illuſtriorem, magiſquè in Orbe propagandam prœludat, atquè deſignet, ſtatim verba indicant ſequentia: dico autem vobis, inquit: quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cùm Abraham, Iſaac, & Iacob in Regno Cœlorum: Filij autem Regni eÿcientur in tenebras exte-*

Lib. 4. de Maria Deipara, cap. 2.

Isai. 1. 8. & 42. Ezech. 3. Zachar. 7. Ioann. 1. *teriores ob suam nempè incredulitatem. Hinc Prophetæ Iudæorum tenebras, cœcitatem, ac duritiam crebro deplorant, quibus, & Ioannes illud exprobrat, in propria venit, & sui eum non receperunt.*

Verum hæc de communi Iudæorum gente dicta debent accipi, non de singulis, non de Patriarchis, & Prophetis, non de Ioanne Baptista, Ioseph, Simeone, & multo minus de Sanctissima Virgine MARIA, qui omnes, licèt non solùm de origine, & patria, sed etiam religione, & moribus fuerunt Israëlitæ, tamen Fidei præstantia, non cesserunt Ethnico isti Centurioni.

Hieronymum sequens præsentem locum sic explicat Divus Anselmus: *Non de omnibus* (inquit) *Patriarchis, & Prophetis hoc dixit, sed de omnibus præsentis temporis, quibus prædicabat, quibus Fides Centurionis antefertur.* Consonat Simeonis de Cassia sententia, ibi: *Non de singulis personis, quæ in eum veraciter crediderunt credendus est dixisse Salvator, sed de populo Iudæorum, cùm ipsi habuissent Moysem, & Prophetas vndè potuissent ocyus credere.* Liranus hoc loco Israël Iudæorum Principes, ac precipuos quosquè interpretatur quos in Christum male affectos fuisse constat, tametsi longè illis maior, quàm gentibus credendo occasio præberetur.

In explicat. Matthæi. cap. 8.

Lib. 5. de Relig. Christ. cap. 12.


Liranus in hunc locum.

Per istum Centurionem signata etiam reperitur Beata Virgo MARIA, nihilquè in eo, tàm circa Fidem, quàm alia invenitur, quòd non priùs, & perfectiùs in ea specialitate aliqua præfulsisse non

ag-

agnoscamus, aliqua sua pietate, & devotione, Albertus Magnus tetegit, cùm in Biblia Beatæ Virginis ita dicat. *Ipsa est etiam Centurio, qui veraciter potest dicere, Matth.* 8. *NAM, ET EGO*, scilicèt Maria, *HOMO SVM*, licèt Mater Dei, & super omnes Angelos *SVB POTESTATE CONSTITVTVS* solius Dei habens *SVB ME MILITES*, scilicèt omnes Angelos, Iob. 25. *NVNQVID NOSTI NVMERVM MILITVM EIVS: ET DICO HVIC VADE*, ad liberandum, ad consolandum, ad transferendũ, socios meos, & fratres homines, *ET VADIT* obedienter, & libenter, & festinanter, *ET ALIO VENI, ET VENIT*. *Super Mat. ca. 8.*

Tantum ergo à veritate abest Centurionis Fidem præferendam esse Marianæ Fidei; vt aliorum pro Fide in sacris litteris laudatorum (qui tantæ Matris Fidei libentissimæ cedunt) æqualem prædicasse satis reperiatur. Sileant Hæretici, & de lumine, quòd cæcitas sua discutere non valet, disputare desinant; cedant Catholicis, quibus Fidei tantæ Virginis veritas, à Domino clarior, & apertior (licèt non excelsior, vt illa fuit) manifestata est.



§. XIV.

MARIÆ FIDES NON MInus admiranda, quàm Chananææ.

Marci 7. vers. 24. Matth 15. vers. 22.

MARCVS, & Matthæus, Mulierem Chananæam de finibus Tyri, & Sydonis Christo Domino obviam, & ita clamantem proponunt. *Miserere mei Domine Fili David Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Qui non respondit ei Verbum. Et accedentes Discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Dominus autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. Et illa veniens adoravit eum dicens: Domine adiuva me. Et Dominus ait. Non est bonum sumere panem Filiorum, & mittere canibus: at illa dixit: etiam Domine: nàm, & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O Mulier magna est Fides tua: fiat tibi sicut vis, & sanata est Filia eius ex illa hora.*

Miratur Christus Dominus Chananææ Fidẽ, vt pote Charitate, Modestia, Longanimitate, & Constantia commendatam. Miratur, & etiam Mariæ Fidem (Devotus Canisius) tot sustentatam columnis, tot depictam coloribus, tot fulgentem stel-

Lib. 4. de Mariæ Deipara, cap. 2.

ſtellis, tot micantem radijs, quot erant heroicæ cùm eius Fide coniunctæ virtutes. Et cùm Bernardo dicere audet, Conſilium Divinum, quòd Angelos latuit, Virgini Matri ſingulari munere patefactum fuiſſe, vt præ illis cognoſceret de tempore, loco, & modo complendi myſterij Dominicę incarnationis. Sancti enim ſpiritus vnctione docebatur de omnibus, & quòd audiendo non poterat, experiendo diſcebat; & ita factum eſt, vt multorum revelandorum prærrogativa Virgini Matri ſervaretur, & per ipſam alij in doctrina recentis Fidei, tùm informarentur, tùm confirmarentur. *Epiſt. 77. ad Hugonem.*

Chananęæ Fides ex conſtantia ſua magis quàm ex alia virtute præfulſit, cùm etiam repulſam paſſa, adhuc perſeverans petitionem conſequi ſperabat, vndè provenit, vt poſteà audiret à Domino: *O Mulier magna eſt Fides tua, fiat tibi ſicut vis.* Sed quid cùm conſtantia Fidei Beatæ Virginis? Cui à plurimis Scriptoribus, & Sanctis Patribus ob ſuam firmitatem, & indeficientem vim accomodatur illud Eccleſiaſtici: *Generatio præterit generatio advenit, terra verò in æternum ſtat.* Nec eam alijs credunt poſſe explicare rationibus; hunc locum ſic ad intentum explicat doctiſsimus Dominus Don Frater Ægidius Romanus, aliàs Columni Archiepiſcopus Bituricenſis, Primas Aquitaniæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Divi Thomæ Aquinatis Diſcipulus: *Tertiò fuit* (inquit) *conſtantior in perſeverando, quia in nullo vitæ ſuæ momento titubavit in Fide iuxta illud, Eccleſ. 1. Generatio præterit, generatio advenit,* *Eccleſ. 1.* *In expoſitione ſuper ſalutationem Angelicam.*

terra verò in æternum stat. Generatio præterit, id est, plurimi Apostolorum defecerunt à Fide, aut omnes titubarunt in tempore passionis. Generatio advenit, id est, conversi sunt ad Fidem Centurio, Latro Magdalena, & alij. Terra autem, id est Virgo MARIA, quæ terra appellatur iuxta illud Psalmi 84. *Benedixisti Domine terram tuam. Et illud Isaiæ* 45. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem, in æternum stat, quia Fidem, immobiliter retinuit vsquè in finem vitæ suę. Adeo vt merito ab Elisabeth de hac Fide generaliori, clariori, & firma, fuerit laudata, & commendata, secundum illud, Lucę* 1. *Beata, quæ credidisti, vltior omnia, clarè, absquè dubio, & firmiter, sine titubatione, quia perficientur omnia, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

Quomodo ergo sola Fides Chananææ pro eius constantia, exclusis alijs virtutibus, aliquò modo assimilari poterit constanti indeficienti Fidei Beatæ Virginis tot virtutibus, & perfectionibus exornatæ, & illustrationibus vestitæ? Cui etiam merito dicere valuit Dominus: *O Mulier magna est Fides tua, fiat tibi sicut vis*! Nàm pro præstantia Fidei suæ Dominum valuit suis visceribus continere, illum recipere, concipere, fovere, & parere. *Et sanatus est totus mundus ex illa hora.* Et si *Chananæa*, se ita humilis exhibuit, vt tamquàm Catellus vellet de micis cadentibus de mensa Domini refici, & satturari: maior humilitas in *Virgine* Beata experitur, nàm nuntiante Angelo Matrem Dei fore, Ancillam fuisse profitetur. Et si *Chananæa* impetravit sanitatem Filiæ suæ pro Fide sua. *Maria*

ria Virgo sanitatem, tàm spiritualem, quàm corporalem quotidie, & incesanter pro Fide sua, & meritis suis consequitur Filijs suis à Filio suo, & in re ita manifesta, non est cur ad alias rationes deducendas compellamur, sed ad maiora pergamus.

§. XV.

FIDE DIMÆ FORTVnati latronis ex Beata Virginis Fide, & intercessione, præmium est assequuta.

LICET Evangelistæ Matthæus, & Marcus affirment duos latrones, qui cùm Domino crucifixi fuerunt, eum blasphemasse. Evangelista Lucas, qui ex professo de conversione boni latronis tractat, apertè docet solùm vnum cùm Sacerdotibus, & Phariseis eum blasphemasse: *Vnus autem de his, qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.* Non ex eo Evangelistas sibi contrarios extitisse erit fatendum, quia vt docet Divus Augustinus, scriptura sacra loqui solet de vno ad instar multorum, & inverisimile esset, quòd si bonus latro à principio de Christo Domino cepis-

Matthæus 27. vers. 44.
Marcus 15. vers. 32.
Lucas 23. vers. 39.
De consensu Evang. cap.

-pisset blasphemare, ita ardenter, & audacter postea alium latronem reprehenderet de culpa cui ipse
Lucas 23. vers. 40. se implicatum noscebat, dicendo: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.* Vndè ex multorum sententia bonus latro nullam in Deum blasphemiam protulit.

Sed vt securius, & iuxta omnium Evangelistarum sensum procedamus, dicendum venit; bonum latronem etiam cùm alio latrone, & scribis, & Phariseis ante conversionem suam Deum blasphemasse (vt Marcus, & Matthæus scribunt) at verò post conversionem suam, nullo modo (vt Lucas testatur) sicquè sententias has veras fuisse cùm distinctione temporum apertè inveniemus; cui favet
In Lucam. Hæbr. 2. Divus Ambrosius: *Fortasse* (inquit) *& iste prius cõvitiatus est, sed repentè conversus, potuit enim de vno pluraliter dicere, sicut est illud ad Hebreos: In pellibus caprinis, secti sunt, obturaverunt ora leonum, cùm solus Elias melotem habuisse, Isaias sectus esse, Daniel à Leonibus intactus mansisse doceatur.*

Sed nunc scire expedit vndè illi tantæ Fides, vt pro ea à Domino in æternas fœlicitates, tàm subitò asportatum fuisse videamus? Et vndè illi tanta mentis suę illustratio, vt attentè Dei Filium, Regem Cœlorum, & Redemptorem omnium considerans, illam humilem petitionem emitteret, di-
Vers. 42. cens: *Domine, memẽto mei, cùm veneris in Regnum tuum.*

Super Lucam, cap. 23. Super Matth. cap. 67. Variè huius illuminationis causam Sacri Scriptores enarrant. Vni, interquos sunt Theophilatus, & Euthymius, quòd bonus latro raram, & in explica-

cabilem illam Christi Domini patientiam agnovit cùm tantis afflictus doloribus in passione sua, ab omnibus illis Iudæis convitiatus, & blasphematus pro illis Patri suo rogans, illam misericordem, & pacificam emisit vocem: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Sicquè illustratus cœlesti lumine, intellexit, effectum hunc patientiæ, & mansuetudinis Domini, ita offensi, & conviciati, extra humanæ naturæ conditionem fuisse, nec ab alio, quàm à Filio Dei nasci potuisse. *Vers. 34.*

Origenes fama miraculorum, quam bonus latro audivit, & aliorum, quæ etiam vidit, ab his permotum fuisse, credit. *Tract. 35. in Matth.*

Divus Bonaventura cum Hilario arbitratur motum ideo fuisse bonum latronem, nàm visa patientia Domini, qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, sed tamquàm agnus mansuetu se offerebat victimæ, viscera eius fuerè commota. *In Lucam lib. 10. de Trinitate.*

Chrysostomus, cui Hieronymus adhæret, aliter sentit; credunt latronis huius conversionis motiva fuisse portenta illa, & prodigia obscurationis solis, & aliorum quæ Christo Domino in cruce pendente acciderunt. *Homil. 2. de cruce. In Matth. cap. 27.*

Sanctus Anselmus, effectum fuisse Crucis Christi, huius cõversionem latronis autumat, quòd non minimis fundat rationibus: *Sentiam Salvator meus* (inquit Anselmus) *virtutem, & odorem, qui est de cruce tua, sicut sentiebat latro ille, qui dicebat: Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum. Viderat forsitan latro iste, te an-* *Opusculo de B. Dei genit. i. e. orat. de Sancta Cruce.*

antea cæcos illuminantem; vel mortuos suscitantem, & non adoraverat te. Tunc verò quando videt te pendere in ligno adorat te dicens: Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum. Hoc fecit in illum crux tua, quòd non potuerunt facere miracula tua. Verius enim, & perfectius cognovit iste te in Cruce pendentem, quàm in Templo docentem, aut miracula facientem. O quanta est virtus Crucis tuæ, quanta est gloria pendentis in ligno; Latro iste vbi vidit tuum lignum, mox cognovit tuum Regnum, & vbi te pendere aspexit, ibi quòd regnares intellexit. O quantus odor de Cruce exibat, qui omnem infidelitatem ab eo repellebat! O quàm digne vocabat te Dominum suum, qui veraciter sciebat se servum tuum, quia oculis suis intuebatur pretium, quo redimebas penitus mundum vniversum.

Leo Summus Pontifex cùm Sancto Augustino, hic finalis Iudicij repræsentationem existere credunt, & licèt iuxta Divi Thomæ sententiam prædestinationis, & reprobationis nulla possit propria assignari causa ex parte boni, & mali latronis, rectè assignatur illa, vt præmij, aut suplicij iusta Iudicis sententia, quàm ante Tribunal Iudicis subituri accesserunt; nàm cùm Ioannes Apostolus dicat: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Merito boni latronis præmium operibus eius meritorijs adscribendum perfidi verò latronis supplicium demeritis eius tribuendum indicatur: *Duo latrones* (inquit Leo) *vnus ad dexteram, & alter ad sinistram crucifiguntur, vt in ipsa patibuli spe-*

1. p. quæst. 23.

Apoc. 16.

Serm. 4. de passione.

specie demonstraretur illa, quæ in iudicio omnium hominum facienda est discretio, cùm, & salvandorum Fides credentis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas demonstraret. Non minus dexterè discurrit Augustinus in eandem sententiam veniens: *Ipsa Crux* (ait) *si attendas, Tribunal fuit: in medio enim Iudice constituto, vnus, qui credidit, liberatus est, alter, qui insultavit, damnatus: iàm significabat, quid facturus esset de vivis, & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram.* *Serm.130.de tempore.*

Sanctus Vincentius Ferrerius hunc bonum latronem ad dexteram Christi Domini versus Aquilonem fuisse describit; & sic illum in meridiè vmbram corporis Christi Domini obumbrasse, & ex eius virtute (sicut legitur de Petri vmbra) fuisse sanatum, & ad Fidem veri Dei reductum. *Serm. de bono latrone.* *Actor.5.*

Nonne aliquid fortunato isti latroni Beatæ Virginis materna pietas, & proximitas profuit? Multum sane? Imò intercessio sua illum ad eminentiam tantæ Fidei devenire fecit, & vt à Filio suo illustratus evaderet? Audiatur Petrus Damianus: *Latro in cruce conversus est, sed cur non ante? Cur non resipuit cùm Iesum in via sequebatur? Cùm eum crucem suam ferentem vidit? Tunc convertitur, cùm Maria iuxta crucem stabat, tunc ex latrone factus est martyr, cùm pro eo Maria deprecabatur.* *In quodam Sermone.*

Ex Societate IESV Patres Iulius Recupitus, & Lyreus docent ante obscurationem Solis in mor- *Tract.1.lib.6. quest.38.lib.2. modo 45.*

te Domini, Vmbram Beatæ Virginis tetigisse corpus boni latronis iuxta positionem, & locum Crucis Domini, vt omnes intelligerent conversionem eius deberi vmbræ, & protectioni Virginis, quæ non solùm sibi affectos, & devotos servos ad Cœlum vehit, sed etiam maximos peccatores.

In vita Christi, part. 2. cap. 13. Dionysius Carthusianus ex Beato Anselmo refert, Matrem Virginem cùm Infante IESV, & Sponso Iosepho in Ægyptum proficiscentem in manum latronum incidisse, quorum vnus nomine Dimas infantis pulchritudinem, ac singularem vultus splendorem admirans dixit: Si fieri posset Deum carnem assumere, non dubitarem infantē hunc Deum esse asserere, eiusque precibus *reli*qui latrones placati, sacros hos viatores illæsos dimisserunt. Christus ergo (inquiunt) volens rependere latroni hoc beneficium in se, & Matrem collatum, interiorem sui notitiam exhibuit. Sed quidquid sit, evangelistæ istius latronis Fidem magnam extollunt, & valdè miranda venit, de qua non inmerito miratus Sanctus Leo, ita ait: *Quæ istam Fidem exhortatio persuasit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit?* Non *viderat prius acta miracula: Cessaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum, ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant, & tamen Dominum confitetur, & Regem quem vidit supplicij sui esse consortem.* *Serm. 2. de passione Domini.*

Et si illa Fides est maior, que de rebus obscuris, & non apparentibus tenetur, quæ res obscu-

rior

rior quàm quòd divinitas lateret sub homine crucifixo? Et quòd Regia Maiestas sub tanta abiectione delitesceret, & cùm hoc totũ firmissimè bonus latro in Christo Domino crederet iustè eius credulitas commendatur, & extollitur, eamquè eleganter Eusebius Emisenus, sequentibus verbis exaltat: *Ecce inter signa, atquè virtutes, attestantibus miraculis, & acclamantibus, aliquoties in Discipulis mens iàm robusta titubavit, & nunc Christi supplicijs quodammodo contradicentibus Fides novella convaluit. Sub ipso passionis tempore ab Ancilla interrogatus vnus ex Discipulis Beatus Petrus, peculiaris Christo cognitus; ita respondit: Non novi hominem istum; & iste qui antea non noverat exclamat: Memento mei Domine cùm veneris in Regnum tuum. Quàm singularis, & quàm stupenda devotio? Sub illo tempore credidit reus dum negavit electus; advertamus Plenius: quo tempore Dominum confitetur fervebat impietas negantium, exultabat impietas blasphemantium. Contritio livoris, & vulnera Christum solùm hominem demonstrabant, sacrarum manuum in lignum Crucis extensio, & reverenda confixio per omnia infirmitatem hominis asserebat, tantum abscondebat Dominum alijs post divina miracula desperantibus, hic non acquiescit scandalo Crucis, mortis, hic est testis maiestatis, qui socius probatur doloris.*

Homil. de bono latrone.

Magnam fuisse boni latronis Fidem, quando rei eventus non ostenderet, satis Sancti Patres passim prædicant: sed quid mirum si, vt cùm Pe-

tro Damiano, & alijs tenentes Beata Virgo, pro eo rogavit, & deprecata est? Vndè duo non impropriè, sed ad casum notanda veniunt: Primum quàm efficax fuit Beatæ Virginis deprecatio pro isto bono latrone, vt ita firmiter credens, & internè illuminatus meruisset à Salvatore nostro audire: *Hodie me cum eris in Paradiso.* Secundum: quàm grata fuit Christo Domino hæc Matris suæ petitio, vt illicò immediatè Matrem, & Advocatam peccatorum è Cruce pendens eligeret, cùm ei Evangelistam Ioannem stantem iuxta Crucem pro Filio suo commendavit, dicens: *Mulier ecce Filius tuus.* Et ex illa hora cùm Ioanne omnes nos mortales, sive iustos, sive peccatores, vt Filios recepit, & incessanter protegit (vt alibi iàm exposuimus.)

Et licèt communis sit expositio Sanctorum Patrum in hunc locum, ex minima compassione Christi Domini pendentis in Cruce, & magnis laboribus quibus premebatur, videns amantissimam suam Matrem ita mæstam, lacrymis, & doloribus plenam, & in amaritudine magna positam quasi animam exhalasse; suis acerbissimis doloribus cōdolens, & cōpatiens, eos delinire curans, societatem Ioannis illi commendavit, vt eum, & omnes viventes pro Filijs reciperet, & diligeret, & Ioannes vices Filij agens, Beatæ Virgini sociatus in omnibus deserviret, hanc fuisse principalem causam huius commendationis ipsamet Beata Virgo servæ suæ Birgittæ designavit, vt ex quadàm revelatione apparet. *Cum Filius meus* (inquit Beata Virgo) *respexisset ad me de Cruce, & ego ad*

Revelat. lib. 1. cap. 10. nu. 33.

eum,

eum, tunc de oculis meis, quasi de venis lacrymæ exibant, & cùm ipse me cerneret dolore confectam in tantum amaricabatur de dolore meo, vt omnis dolor vulnerum suorum erat quasi sopitus, præ dolore meo, quem in me videbat, cumquè sic sanguinolentus, & perforatus staret condolens mihi adstanti, & gementi respexit sanguinolentis oculis in Ioannem sororium meum, & me commendabat ei.


At prædicta non obstāt piæ nostræ considerationi; imò multum illi adhærent, & credi posit pro isto bono latrone primam fuisse, & efficaciorem Beatę Virginis advocationem, gratamquè Domino maximè extitisse, cùm continuo Mater Ioannis, & in illo omnium mortalium nominetur, & efficiatur.

Et si Fides istius latronis magna resplendeat, quid non ex præstanti illa Beatæ Virginis imitari, quòd habeat, non agnoscamus? Quomodo maiorem vllo modo credi, & confiteri possumus? *Latro* ille violenter affixus cruci omni desperatus salutè ad Christum accedit, in eum credens, & Filium Dei habens. At Virgo Beata sponte, solum amore nixa, Filium suum firmiter credit Deum esse, mortem devicturum, & resurrecturum. *Ille* credit per miraculorum patrationem, tormentorum tolerationem, & signorum manifestationem, & alia similia mirabilia; sed nondum divinitatem novit, sed supposuit. *At Virgo Mater* divinitatem Filij sui noscens, illum ita abiecta perpeti visum, & à sua divinitate aliena, credere non destitit Filium Dei esse, vndè maior

ior Fides eius effecta est. *Latro* licèt credidit, exemplo Fidei Beatæ Virginis credidit, videns illam ita immobiliter iuxta crucem stantem, Matrem Christi crucifixi novit, illi tacitè se commendavit, vndè fuit, vt à Filio suo illustrationem nancisceretur, advocationem impetraret, & salvationem consequeretur: non igitur maiorem esse opportebat Fidem recipientis, quàm dantis, nec maiorem fuisse Fidem Filij, quàm Matris pro illo deprecantis, vndè merito hanc sublimiorem in dubiè prædicari tenemur.

CAPVT XIV.

FIDES VIRGINIS MARIÆ in quibus generaliter excessit Fidem omnium viatorum.



VM ita de sublimitate Fidei Virginis simus alloquti, etiam expedit explanare in quibus hæc Virgo Mater Fide sua viatores omnes excessit, vt clarior eius Fidei virtus resplendeat, & licèt in particulari, iàm comparatione aliquorum notũ fecimus eius Fidei incomparabilem excessum, nunc generaliter regula firma statuendum est genericè in tribus omnes viatores Fide sua superasse.

Pri-

Primò, quia eius Fides fuit generalior Fide omnium viatorum; cuius ratio eſt, quia Beata Virgo ſuo poſſe comprehendit omnem veritatem; habet pro ſe hęc propoſitio Divum Hieronymum ita loquentem: *Ipſa eſt ſola, quæ nos poſt Deum confert omni veritati.* Et quòd Eccleſia de ea canit: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniverſo Mundo*; quòd dici non valet, nec poteſt de alio viatore: Quid enim de veritate, & de Deo non credebat, & cognoſcebat, quæ in ſe Dei ſapientiam latentem continebat, & primam omnium veritatem?

Sermone de Aſſumptione.

Eccleſia.

Secundò, quia eius Fides clarior omnium fuit, quia clarius omnibus credenda cognovit per internam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti inſtructionē, vndè iuxta Sanctorū Patrū cōmunē ſententiam omnia credenda, præſertim myſterium ſuæ Incarnationis, & humanæ redemptionis Chriſtus Dominus in ſuo ſacratiſsimo pectore, ſic aperuit, vt ei tandem nota eſſent, & ſibi ſecundum claram cognitionem, ſicquè Mariæ Angelum interroganti. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Reſpondit Angelus: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi*: id eſt, Pater, & Filus, & Spiritus Sanctus, ita omnia tibi facient clariora, quàm cuicumquè creaturæ, etiam ipſis Angelis, ſint nota.

Tertiò, fuit eius Fides conſtantior in perſeverando omnibus alijs, quia in nullo vitæ ſuæ momento in Fide defecit, nec titubavit, ſed eam immobiliter vſquè in finem vitæ ſuæ retinuit, & ſerva-

va-

vavit. Vndè potuit de futuro Beata Elisabeth prædicare Beatæ Virgini omnia illi promissa adimplenda fore propter constantiam suæ Fidei: *Beata,*
Lucæ 1. *quæ credidisti; perficientur in te omnia, quæ dicta sunt tibi à Domino;* vt habetur apud eundē Evangelistam Lucam. Et de hac Fide generaliori, clariori, & firma merito fuit laudata, & commendata Beata Virgo Maria.

CAPVT. XV.

BEATITVDO VIRGINIS, & Incarnatio Verbi, Fidei Mariæ, vt primo principio debetur, iuxta Beatæ Elisabeth dictum.

Beata, quæ credidisti:

Ideo bis Mater Christi consideranda venit.



Lucæ 1. FVISSE in Beata Virgine Fidei virtutem, quam Beata Elisabeth hic commendat, dicens: *Beata, quæ credidisti.* Nullus est, qui dubitet, neque quòd attribuatur eius Fidei, meruisse Deum concipere, vt ex sequentibus verbis eadem Elisa-

sa;

...abeth indicat: *Quoniam perficientur in te ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Vndè Divus Augustinus ait Virginem Beatam Deum non libidine, sed Fide concepisse, & Beatiorem fuisse percipiendo Fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi; nihilquè profuisse maternam propinquitatem nisi cum fœlicius corde, quàm carne gestasset. *Lib. de Virgin. cap. 3.*

Apud Divum Marcum omnia possibilia esse credenti, scriptum est, & si iuxta charitatem Fidem dimetimur, charitas Virginis Beatæ omnia credidit, vt Apostolus Paulus de vera charitate scribens ad Corinthios confessus est, ibi: *Charitas omnia credit*; & apud Matthæum: *Salvator noster*, inquit. *Si habueritis Fidem, & dixeritis monti, vt mittat se in mare obediet vobis.* Ex quo facile intelligimus, qualis esset Fides Beatæ Virginis, cùm ad eius dictum cùm dixit: *Ecce Ancilla Domini, &c.* Summus mons montium tulit se, & misit in mare, id est, in vterum suum, ergo ipsius Fidei primario debetur sua beatitudo, & nostra redemptio. Fides annulus est, quo anima sancta desponsatur Deo iuxta illud Prophetæ Oseæ: *Despensabo te mihi in Fide in sempiternum.* Hunc habuisse, & maximè adamasse Dei genitricem Mariam cùm desposata fuit Filio suo, vt anima dilecta cùm Deo suo, non est dubitandum (vt in cap. 18. fusius dicemus) & super omnes mortales excellentissimam habuisse Fidem, & fidissimam semper Sponso suo extitisse; qua prævia Fide Matrem Dei meritam ab omnibus prædicari, & effici reperimus. *Marci 9.* *1. Corinth. 13.* *Matth. 17.* *Lucæ 1.* *Oseæ 2.*

In Canticis Sponsa Sancta, & Anima iusta, *sub*
Cant. 2. vers. 3. *vmbra illius, quem desideraverat*, sedisse ait, & in
Serm. 48. vmbra esse, quàm diu per Fidem ambulamus, notavit Divus Bernardus; ex quibus hanc vmbram plenissimè habuisse Beatam Virginem, quæ sub Spiritus Sancti vmbra fuit, & sub hac semper vixisse in dubium est: sedere, quiescere est, vt idem Bernardus paulo post dixit: *Quievit sub Fide Maria, quæ nullū vmquam, vel levissimum contra Fidem motum habuit, quo solent etiam fidelissimi Dei servi aliquando præter eorum voluntatem quati.* Credidit Deo Beata Virgo, & perfecta sunt in illa, quæ dicta sunt illi à Domino, concepit, peperitquè inviolata Virginitate, vt Divus Ildephonsus: Angelum ita loquentem inducit: *Non*
Serm. 1. de Nativit. Virg. *expavescas partum Virgo, nec metuas; nequè multū sis in experta formidine, tātum crede, & concepisti. Credidit Beata Virgo, concepit, & Dei Mater facta est Virginitate servata.*

Tract. 10. in Ioan. Et sicut ex Divo Augustino probatur, indicat Dominus Mariam suam esse Matrem non modò secundum carnem, quòd ipsum est donum incomparabile; nulliquè alteri communicatur, sed & maximè secundum spiritum, qua ratione illam nobis, omnibusquè credentibus imitandam proponit, vt verbis aureis Leo Magnus firmat: *Virgo Regia Da-*
Serm. de Nativit. Domini incipit. Salvator. *vidicæ stirpis* (inquit) *sacro gravidanda fœtu divinam humanamquè prolem prius mente concepit, quàm corpore.* Cui adhæret Rupertus Abbas in
In lib. Regum, lib. 8. cap. 14. hæc scribens verba: *Generationis Christi vera Beatitudo est in eo, quia verbum ipsum, quòd Virgo fidelis secundum carnem peperit, & lactavit,*

ipsa

ipsa secundum Fidem prius, & corde concepit; & ore peperit. Vt hinc intelligere debeamus, & possimus, quomodo Scriptura Sacra nobis Mariam depingat, semperquè spectandam præbeat, vt bis Matrem Christi esse meminerimus, quòd privilegium illi soli competit; cùm sit Mater, tùm carne, tùm spiritu, quæ simul carnalem, & spiritualem generationem tàm absolutè coniunxit, vt inter Sanctos omnes nihil illa, vel in corpore purius, vel in anima sanctius, vel in iustitia perfectius, vel inter cœlites excellentius reperiatur. Et vt Venerabilis Beda testatur: *Cùm Sacerdos negasset, Virgo correxit errorem. Beatior etiam credendo, quàm Christi carnem concipiendo.* Nunc autem, & carne, & quadamtenus spiritu Domini Mater, nulli prorsus Fide secunda, ac Christo æterna sapientia digna Mater inventa. Et vt Canisius clamat: *Credidisti, quæ tibi dicta sunt à Domino, quantumvis ardua, sublimia, inaudita, & ante alios firma Fide complexa es: Beata prorsus in qua semper heroica Fides ad Mysteria divina mirabiliter, & contemplanda, & percipienda præluxit.*

Cap. 1. *in Lucam.*

Lib. 4. *de Maria Deipara, cap.* 2.

Et si sunt Beati (Christi sententia) omnes illi qui cùm Fide audiunt, & opere custodiunt Verbum Dei, quanto illa Beatior, digniorquè censenda est; quæ omnes piè contemplantis, Deoquè vacantis Magdalenæ partes obiens, ac superans, Christi Evangelium cupidissimo pectore semper hausit, quæ Filium, tot annis domesticum velut præceptorem aluit, cuiusquè aures semper divinis illius vocibus circumsonuerunt, quas illa tanto ma-

Lucæ 11.

Lucæ 10.

iore cùm Fide percepit, ac imbibit, quanto Verbũ ipsum prę cæteris cognovit præsentius, & amavit vehementius; & in omni vitâ studiosius observavit.

Quærendum etiam venit cùm Angelus dixerat benedictam, & Elisabeth benedictam, & Beatam, quid interest inter benedictam, & Beatam? Hanc quæstionem movet, & resolvit Simon à Casia, & cùm benedicendi aliquas differentias assignet concludit, quòd benedictio Virginis, quæ ab Angelo, & ab Elisabeth benedicta in mulieribus prædicatur à Deo pro tinus sic erat: vt illam ei Dominus bonitatem conferret, qua sibi super omnes posset placere, ac Dei Filium generare: ab hominibus etiã talibus erat benedictionibus extollẽda; vt nihil in ea, & ex ea in alteram rerum partem, quàm in virtutum bonitatem posset inflecti; vt ex ventre ipsius ille benedictus, qui venit in nomine Domini affluerer super omnes. Beata siquidem prædicabatur viatrix existens; quia crediderat Angelicis dictis, & quia in ipsa prædicta perficienda erant. Virtutis erat existentis in anim o ista beatitudo: vt nihil posset repugnare futuris, nec ipsa in mente habebat aliquid impacatum. Beatitudo est sic virtutibus adijci, vt nihil adversum earum impediat actionem; ad quàm beatitudo interminabilis sequitur: cùm sit assumptio in superna. Inquit igitur Elisabeth: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino*, scilicet, Angelo nunciante.

De Relig. Christian. lib. 2 de Virg. Maria, cap. 13.

Lucæ 1.

Axioma commune, & Philosophicum est, nihil

volitum quin præcognitum; ex quo deducimus, quòd licèt consensus Beatæ Virginis, quem præstitit Verbi Incarnationi, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ex voluntate immediatè provenit, negari non debet, quin priùs ex eius præstantissima fide vires, principium, & complementum recepit, nàm si Fidem constantem Angelico annuntio Virgo non præstitisset, crederetquè omnia ab eo dicta firmiter, consensum non præberet; vndè Sancti Patres, & Doctores magis laudant mente, id est Fide, quàm Corpore Verbi Incarnationem; & ex Divo Augustino toties illa repetita Verba: *Magis mente quã ventre.* De eadem idemmet indicant, & probant.

Ex alio principio irrefragabili hoc idem probabari potest si Divi Pauli sententiam in medium afferamus asserentis: *Sine Fide Impossibile esse placere Deo, & accedentem ad eum opportere credere.* Non sufficit naturalis Dei cognitio, qua Philosophi cognoverunt Deum esse, & vindicem bonorum, & malorum; nàm Deus vult amari, & ab hominibus coli, & venerari non solùm, vt author naturæ, & bonorum naturalium, sed etiam supernaturalium, & æternorum post hanc vitam, sicquè vt illi placere possimus, & ad eum accedere, favorem, & amicitiam consequuturos, Fide vera, viva, & operum, fructuumquè feraci esse debet; vndè bene arguit Divus Paulus ad iustificationem, scilicet, vt simus amici Dei, Deoquè placeamus, Fidem, sive cognitionem supernaturalem, & divinam requiri. Notandùm etiam venit iuxta expositionem *Ad Hebr.* 11. *vers.* 6.

Cor-

In capit. 11. epist. Pauli ad Hebr. vers. 6. num. 305. Cornelij à Lapide in hunc locum, ad iustificationem, Deiquè amicitiam, qua illi placeamus, non tantum hæc duo, scilicet, quód Deus sit, & quòd remunerator, sed plura alia credēda esse, vt Deum esse trinum, & vnum, Christum incarnatum, & crucifixum, esse mediatorem Dei, & hominum, Christum esse peccati tum originalis, tum cuiusvis actualis expiatorem, & animam esse immortalem; his suppositis quomodo ergo ad Deum Virgo accederet, placereque illi posset vt Mater eius fieret, nisi plena, firma, & constanti Fide fuisset, illamquè plenissimè ante consensus præstationem exercuisset, credens omnia illa Mysteriorum Arcana, quæ ab Angelo ei nuntiabantur.

Quòd Virgo accessit ad Deum per hanc Fidem, illiquè placuisset ab effectu probatur, nàm statim, quòd Angeli legationi dixit: *Ecce Ancilla*
Ioann. 10. *Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Testante Ioanne: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Argui potest ex hoc præcisse, quòd Virgo Maria prius accessit ad Deum per Fidem, quàm per voluntatis assensum, vt posset illuminari, & in Matrem eligi, quia nullus potest Deo placere nisi accedat ad ipsum iuxta Iacobi sententiam: *Apropin-*
Iacobi 4. *pinquatè Deo, & propinquabit vobis.* Et Psaltes:
Psalm. 33. *Accedite ad Deum, & illuminamini*; sed nullus accedit ad Deum nisi per Fidem, quia Fides est lumen intellectus; ergo nullus potest Deo placere nisi per Fidem. Vt in hunc Divi Pauli locum Sanctus Thomas Aquinas docet; ergo si
Luc. 2. in cap. 11. epist. Pauli ad Hebr.

Bea-

Beata Virgo ita accessit Deo, amicaquè facta est Dei, & in illa ita complacuisse videatur, vt in Matrem suam eligeret hoc totum Fidei suæ deberi, iudicandum, & tenendum venit.

Et si Fides est bonorum omniũ fundamentum, & salutis humanæ initium, sine qua nemo ad Filiorum Dei numerum pervenire potest, quia sine ipsa, nec in hoc sæculo quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futurum possidebit æternum; vt more suo Divus Augustinus exponit. *Tract.1. de Fide ad Petrum.* Ergo necassario Beata Virgo antequam Angelo panderet voluntatem suam, iàm accessit ad Deum per Fidem; omnemquè iustificationis gratiam adepta cùm Angelus plenam gratia prædicat, & Dominum esse cùm illa; non ergo si cùm Fide ad Deum non accederet, Dominus ad illam deveniret, sed hoc priùs contigisse antequam Mater Dei fieret, planè est confitendum. Ergo etiam quòd Beatitudo sua, & Verbi Incarnatio primario suæ Fidei debeatur. Vt præclarè exponit Ricardus à Sancto Laurentio, ibi: *De laudib. Vir. cap. lib.4.* *Maria designata est per Evam, quæ appellata est Virago, Genes. cap.2. Quia de viro sumpta est: Maria autem Virago, quia de ipsa sumptus vir suus, quando scilicet ex magnitudine Fidei consentiens, vt de sua substantia fieret Christus homo, respondit Luc.1. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.*

CA-

CAPVT. XVI.

BEATA VIRGO, QVAM in summo habuit Fidem, gratiam, & fructum Fidei, in hocquè quantum excessit omnes viatores.



OMMVNITER illud Pauli ad Corinthios: *Alteri Fides, &c.* vt notat Glossa, accipitur pro Fide, vt est gratia gratis data prò constantia Fidei, vel Sermone Fidei; hancquè sublimem habuisse Beatam Virginem, & in ea omnes superasse, & esse supergressam probat Albertus Magnus, nàm aliorum constantia fuit defficiens, & intercepta, Virginis verò non, & pro hac parte adducitur, & exponi solet illud Ecclesiastici: *Generatio præterit, & generatio advenit, terra verò in æternum stat*; & illud Matthæi: *Si habueritis Fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic tollete, & mittete in mare, obediet vobis.* Et cùm granum sinapis sit minimum, purum, calidum, & tenax, Virginis verò Fides humilis pura, feruens, & tenax, rectè grano sinapis comparatur, quantumquè creverit, & potens demonstretur,

1. Corinth.

In Mariali, cap. 90.

Eccles. 1.

Matth. 17.

tur,

tur, ab effectu ducimus, cũ ad ipsius dictũ: *Fiat mihi secundũ Verbũ tuum*: Summus montium tulit se de Cœlo, & misit in mare huius mundi per Incarnationem ex ea, & in mare sui vteri, & in vterum suum ingressus vitam dedit mundo, vndè Divus Antoninus nullius Sancti, nec Sanctæ fuisse vnquam Fidem, ita constantem, & ferventem, quòd istud petere auderet, vel impetraret docet, simulquè huiusmodi gratiam Fidei posse esse sine gratia gratum faciente, per id quòd Apostolus Paulus scribit: *Si habuero Fidem, ita vt montes transferam charitatem autem non habuero, &c.* Vbi datur exemplum de Alexandro Magno, qui ex Fide orans procuravit montes caspios insimul iungi, vt infra eos clauderentur Tribus quædam Iudæorum translatæ propter scelera eorum: quòd, & factum esse. Nec immeritò Virginis constantia Fidei, terræ stanti assimilatur, cùm constantior, & firmior semper habita fuit, Fide omnium viatorum, nàm omnes defecerunt præ timore in Fide, in passione; & ipsa semper firma permansit, Fides in quantum est fructus spiritus, de qua Divus Paulus: *Nos enim spiritu ex Fide*, & Glossa in rubrica de summa Trinitate, & Fide Catholica; eamquè invisibilium certitudinem vocant, triplicem illam considerat ex delectatione Albertus Magnus: *Primus modus est, per scibilium pluralitatem, vt si delectatio est in sciendo, quanto plura sciuntur, tanto maior est delectatio. Sed Beatissima Virgo plus omnibus scivit: ergo plus omnibus secundum hunc modum delectationis habuit. Secundus modus est pen*no-

Lucæ 1.

In summa, par. 4. tit. 15. cap. 9. §. 3.

1. Corinth. 15.

Galat. 5. ver. 5.

Glossa in rubr. de summa Trinit. & Fide Catholica Codice.

In Mariali, cap. 128.

nobilitatem, & maioritatem Sanctorum; vt si est delectatio in sciendo talia; maior delectatio erit in sciendo nobiliora, & meliora, sed Beatissima Virgo, scivit improportionabiliter meliora, & nobiliora ad sciendum alijs, scilicet Deum, Trinitatem, & Beatitudinem propriam: ergo eius delectatio, quàm habuit in sciendo omnium delectationibus, fuit improportionabilis. Nihil enim est delectabilius animæ scire, quàm scire Deum: & se ab ipso scire, numquam separandam. Tertius modus est, per modum sciendi perfectiorem, & si delectat aliquid scitum simpliciter scitum, perfectius plus delectat. Sed Beatissima Virgo improportionabiliter perfectionem habuit in sciendo. Item munditia præcedit visionem, visio certitudinem, certitudo declarationem: Sed Beata Virgo habuit improportionabilem munditiam: ergo visionem: ergo certitudinem: ergo delectationem: sic ergo patet qualiter Virgo Beata, & plura scivit, & delectabiliora ad sciendum, & perfectiori modo sciendi omnibus alijs: & sic certitudinem habuit invisibilium excellentius omnibus alijs. Igitur fructum Fidei habuit in summo. Hæc Albertus Magnus, cui etiam adhæret Divus Antoninus, paucis verbis adhibitis, & differentiam adhibens in Fide, prout est fructus, velut virtus Theologica; quia si vltra communem assensum ad credibilia prout est fructus importat quandam certitudinem de eis, non tamen eo modo quo in patria. Potest etiam hic Fides dici fidelitas ad promissa: quæ etiam fuit per maximè in Virgine Maria; & de hac apud Ecclesiasticum:


In summa, 4. p. tit. 15. cap. 26. §. 1 circa medium.

cum; *Fidem possideo cùm amico in paupertate illius, vt & in bonis eius lateris*; & ita intelliguntur in iure plura Iurisconsultorum responsa; & cùm Virgo Beata fuit fidelissima Deo, rectè de ea intelligi debet illud Neemiæ; *Invenisti fidele cor eius coram te*. Et verus Salomon Pater æternus iuxta illud Regum Filio suo dicere potuit. *Ædificabo tibi domum fidelem*. Quia Virgo sola cùm Filio suo fuit Domus fidelis, vsquè in sempiternum coram Deo; vndè ipsa dicere potest cùm Propheta Rege: *Testimonium meum fidele ipsi*: Et vt fidelissima in omnibus promissionibus suis, semper de ea lætanter canere debemus illud Iosue. *Implevit opere, quòd promissit*. Et generi humano ita fidelissima est reperta, vt propter eius fidelitatem Deo fuit reconciliatum. Et si primus noster parens propter præcepti transgressionem infidelis habitus est; magis mulieri, quàm Deo credens, nosquè qui successimus eis, in peccato nati noscamur, sanctificari valuimus per mulierem fidelem, nempè Beatam Virginem Mariam iuxta Apostoli Pauli dictum: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*. Et sicut aliquando contingit, quòd vnus convertitur per alterum ad Fidem, eodem modo sanctificetur iuxta Sancti Thomæ sententiam in hunc Divi Pauli locum; sic invenimus factum Romæ, cùm Sisinius per Theodoram tempore Clementis Papæ conversus est; & Beata Cecilia Sponsum suum Valerianum ad Fidem convertit, sanctificatum per Baptismum, & glorificatum per Martyrium; & Vir iustus Ioseph Sponsus Beatæ

Eccles. 22.
l. 1. ff. de const. pecum, l. 1. §. merito, ff. depositi: l. bonam. Fidem, Cod. de act. & oblig.
Esdræ. 2. cap. 9. vers. 8.
3. Reg. 11. vers. 38.
Psalm. 88. vers. 29.
Iosue 23. vers. 15.
1. Corinth. 7. vers. 14.

Virginis Mariæ, quid non per Sponsam suam ad omnis sanctitatis sublimitatem evectus non agnoscatur, ad quam fecit ascendere familiaritate? Et si Cecilia Virgo vno noctis spatio suis exhortationibus Sponsum traxit ad Deum Beata Virgo Maria, tot annis coniungalis cohabitationis, tot humilitatis, charitatis, & honestatis exemplis, tot cœlestis doctrinæ, & sapientiæ verbis Sanctum Virum suum omnia tacitus conservantem, prudenter notantem ad quam non perfectæ vitæ provexit celsitudinem? Hoc vsus est argumento Sanctus Ambrosius exponens illud, Lucæ 1. *Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus.* Veracius, & proprius de hac Regina nostra asserere tenemur, nos pro peccatis nostris infideles, iusteque damnatos per istam fidelissimam Virginem, & Matrem sanctificari, & salvari sine dubio posse, suaque intercessione à Filio suo certè assequuturos sperare.


Lib. 2. in Lucam.
Lucæ 1. vers. 56.



CA-

CAPVT XVII.

QVANTVM NATVRA impossibilia, & summe distantia Fides Virginis possibilia fecit, eiusquè Fidei præstantiæ debeatur.



INTER alia mirabilia, quæ in Incarnatione Verbi patrata fuisse noscuntur; tria præsertim Sancti Patres maximè mirantur, eaquè summis, non cessant extollere laudibus, & Virginis Deiparæ Fidei sublimi debita confiteri. Primum; *quòd Deus fieret homo, & Deitas, & humanitas in vno extarent supposito.* Secundum: *Quòd Virgo esset Mater; & Mater sine claustri sui Virginalis violatione conciperet, & pareret.* Tertium: *Fides, & cor; quòd cùm Fides, & humanum cor distintantiis summis ob discordiam comparentur, Virgo Mater in vnum redigeret.*

Præ cæteris Sanctus Bernardus hæc profundè mirans, & contemplans in sequentia prorumpit verba: *Tria opera, tres misturas fecit omnipotens illa Maiestas in assumptione nostræ carnis, ita,* *Serm. 3 in Vig. Nativit.*

ita singulariter mirabilia, & talia, nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippè sunt ad invicem Deus, & homo, Mater, & Virgo, Fides, & cor humanum. Admirabiles istæ misturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tàm diversa, tamquè divisa ab invicem, invicem potuerunt coniungi.

Meritò Divus Bernardus miraculo mirabiliora hæc recenset Mysteria; sed si hæc ita altiora, & incomprehensibilia beneficia Fides Deiparæ Mariæ assequi valuit, qualis esset eius præstantia, & sublimitas? Dicat, qui noscit. Nàm humani captus metam excedere non dubitamus, neque ratione comprehendi; quòd solà Divina potestas factibilia reddidit, sed modo quo mens nostra valet qualitatem horum factorum per partes exponemus; vt magis Fidei Beatæ Virginis excellẽtia prefulgeat.

Deum hominem factum, paucis describitur verbis, & non amplioribus idem asseruit Evangelista Ioannes cùm dicit: *Et Verbum caro factum est.* Ijsdem etiam vsi sunt Apostoli Sacri, & Concilij Constantinopolitani, Sancti Patres, in Symbolis suis; *& homo factus est.* Sed quanta in facto hoc Omnipotentiæ Dei bonitatis, & charitatis erga nos beneficia includantur, non erit facile promendum; & si apud nos ignotæ semper sint magnitudinis suæ qualitates; non temere affirmare possemus, etiam Altissimi Dei potentiam, & Filij sui in Mundum missionem, Incarnationem, & peregrinationem, non amplius in humani generis gratiam, & bonum se extendere posse, libera-

Ioann. 1.

Symbol. const. & Apostolor.

raliorem què exhibere: *Non satiabar* (inquit Augustinus) *dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui super salutem generis humani.* Quantumquè homo hac miseratione extollatur alibi piè considerans idem Augustinus aureis verbis explanavit. *Deus* (inquit) *factus est homo, quid facturus est homo, propter quem Deus factus est homo?* Se totus homo impendat amori, ac cultui tanti Dei (vt Divus Bernardus exposuit) ne ingratitudinis damnabili pœna iustè prematur. *Ille meæ liberationi* (inquit Divus Bernardus) *ego illius honori, ille meæ saluti, ego illius voluntati.*

Lib. 9. confess. cap. 6.

In sentent. Prosperi.

Serm. 63. in Cantic.

Quando humanum genus Deum suum Redemptorem habere somniare potuit? Vndè hoc nobis, vt Filius Dei nostri, & Dominus noster veniret ad nos? Nonne hoc per nimiam charitatem suam factum fuisse monstratur? Ita apud Lucam hoc expressè Zacharias docuit, dicens, *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Ita etiam Leo Pontifex declaravit: *Deus omnipotens, & clemens* (inquit) *cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est statim vt nos diabolica malignitas veneno suę mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit denuntians serpenti futurum semen mulieris, quòd noxij capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum, secundù plenitudinem temporis quàm divini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, vt inventor*

Lucæ 1.

Sermone de Nativitate.

tor mortis Diabolus per ipsam, qua vicerat, vinceretur.

Vndè nobis, vt Deus immortalis, fieret mortalis, æternus temporalis; impassibilis, passibilis, incircumscriptus, conscriptus, Dominus formam servi acciperet, & tandem Deus fieret homo? Nonne Virginis Beatæ Fides, Virginitas, Humilitas, Obedientia, Religio, aliæquè Virtutes, iugis oratio, incessantes preces, desiderium ardens, & supplex petitio ad Dominum Creatorem, & Factorem suum pro mundi redemptione obtinuerè? Ita communis Sanctorum sententia est: Matrisquè Salvatoris dignitatem promeruisse, licèt non sub merito de condigno cadentem; saltim de congruo eam merentem, hocquè Ecclesia Sancta multis in locis planè confitetur cùm dicat: *Quæ Mater Christi meritò fieri meruisti*: Et alibi: *Beata viscera, quæ meruerunt portare Christum Dominum*: Postremo in quadam oratione: *Vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur.* Et vt in re ita clara non immoremur pro Sanctorum opinione solùm Ecclesiæ Latinæ Doctorum quatuor sententias proferemus. Divus Hieronymus duplici in loco, ita sentit: *An non* (inquit) *mons sublimis MARIA, quæ vt ad Conceptionem Æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem super omnes Angelicos Choros, vsquè ad solium Deitatis erexit?* Et scribens ad Eustochium. Tantæ puritatis Maria extitit, vt mereretur effici Mater Dei: Divus Augustinus. *Scimus, quòd plus gratiæ ei collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac*

Super 1. Reg. cap. 2.

De custod. Virginitatis.

Lib. de natura, & gratia, cap. 36.

pa-

parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Sanctus Ambrosius: *Quid loquar, quanta sit Virginitatis gloria, quæ meruit, à Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei templum.* Et libr. de Virginibus: *Quid in singulis moror? Quę digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur.* Sanctus Gregorius: *Incomparabilibus* (inquit) *illustrata meritis Dei vnigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit vterum.*

Epist. 82.
Lib. 2. de Virg. paulo post principium. in 1. Reg. cap.

Hac veritate motus Divus Thomas docere non dubitat infinitatem quandam dignitatis illi personæ, quæ Dei Mater est, attribui opportere: sicquè argumentatur: *Si enim quo altior est Filius, eo dignior Mater censenda est, quis iure ambigat, quin Filij infiniti authoritas, ac dignitas ad Matrem ipsam redundet, quæ sola cùm Patre, Filio Æterno dicere potest: Filius meus es tu, ego genui te?* Et Dionisius Richelius iudicat, eo, quòd Maria veri Omnipotentisquè Dei Mater vera facta sit tantam gratiæ plenitudinem continere, quantam ne ipsa quidem Virgo, nisi Dei contempletur essentiam perspicere posit. Et Cardinalis Cusanus, docet, in eo quòd Matrem Dei asserimus, omnem fere laudem contineri, atquè superari, ac id circo vulgares illos titulos, quibus Maria Regina Cœlorum, Mater Angelorum, & hominum, iubilusquè Prophetarum appellatur, ad illam iure refferri.

Lib. 1. sentent.
Lib. 2. de præconio, & dignit. Virg. cap. 8.
Dialogo de Annunt. Virg.

Secunda, & admirabilis vnio est. *Virgo, & Mater*; singularem prædicant Sancti, non cessant in sublime eam extollere ingenio carere credunt, cùm Mysterium consequi curant; vires non suppe-

tunt cùm capere inhiant, quòd credunt; incipiamus cùm Bernardo, qui admirandi principium dedit: *A sæculo* (ait) *non est auditum, quòd Virgo esset, quæ peperit, quòd Mater esset, quæ Virgo permansit. Numquam iuxta rerum ordinem Virginitas, vbi fœcunditas prædicatur, nec fœcũditas, vbi Virginitas integra conservatur. Sola hæc est in qua Virginitas, & fœcunditas obviaverunt sibi. Ibi semel factum est, quòd numquam factum fuerat, nec fiet in æternum; quia nec primam similem est visa, nec habere sequentem.*

Serm. 3. de Vig. Nat.

Hæc mira commixtio, & vnio iàm præsignata factis multis antea fuerat. Ita in rubo ardente, & non combusto, de quo in Exodo: *Apparuitquè ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Nostra Mater Ecclesia Virginitatem Dei genitricis agnoscens ita canit. *Rubum quem viderat Moyses incombustum conservatum agnovimus tuam laudabilem Virginitatem.* Arsit enim MARIA fœcunditate, sed non est combusta libidinis corruptione. Aaron Virga, quæ sine adiecto humore extra terram floruit simul, & fructificavit (de qua in numeris legitur) est Virgo Maria, quæ produxit sine opere, ac semine Viri, florem, & fructum Christum Dominum Salvatorem. Figurata etiam est in illo Gedeonis vellere, & terra mirabiliter de Cœlo vicissim rore madentibus (vt Iudicum libro scribitur.) Nàm Christus Dominus descendit in vterum Virginis, non ex viro, sed ex Cœlo; sicut ros, & pluvia descendit in vellus, & terram. Et sicut tres pueri in camino ignis inclusi habeban-

Exod. 3. vers. 2.

In officio parvo B. Virg. tempore Adventus.

Nume 17. vers. 8.

Iudic. 6.

bantur; & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis. Vel quemadmodum Danieli intra lacum Leonum incluso, claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuc. Multisquè alijs figuris hæc Beatę Virginis Maternitatis, & Virginitatis mirabilis vnio declaratur, quas brevitatis causa omittimus. Bernardum sequitur Sanctus Epiphanius, qui exclamans ait: *O Virgo Sanctissima quę exercitus Angelorum in stuporem deduxisti, stupendum enim est miraculum in Cœlis, mulier gestans lucem in vlnis; stupendum miraculum in Cœlis, Mulieris Filius, qui, & ipsius, & sæculorum est Pater; stupendum miraculum in Cœlis, Thalamus Virginis habens Filium Dei, Deum, & Sponsum Christum.* *Daniel 3.* *Daniel 6.* *Serm.*

Hesychius Presbyter Hierosolymitanus, Author Græcus, qui summa dexteritate in laudando Mariam, Virginitatem cùm Maternitate sua coniunxit, ita prosequitur: *Peperit, & vterum non aperuit; concepit, & vulvam non corrupit: eduxit Infantem, & vterum signatum reliquit: lac suppeditavit, vbera tamen intacta conservavit: portabat puerum, pueri tamen Patrem non agnoscebat: Mater effecta est, quæ minimè Sponsa fuit: nutriebatur Filius, & non inveniebatur Pater: ager fructum edebat, & fructus carebat cultore: messis reddebat, quæ semen non acceperat: currebat fluvius, & fons quacumquè ex parte clausus erat; vt perspicuum fieret, te Matrem esse factam, & tamen non esse passam ea, quæ mulieribus accidunt.* Non minus hoc privilegium laudabiliter narrat divus Cyprianus adversus Iudæos *Serm. 2. de Sancta Deipara.*

Lib. 2. adversus Iudæos c. 9.

scribens: *Erat ei* (inquit) *proprium privilegium, quòd nulla Mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quòd erat simul Mater, & Virgo, singulis titulis insignita: Vndè, & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mentis integritate insignis, spirituali, & corporali intus, & extra Christi præsentia fruebatur.*

Apologia in Rufinum. Hæresi.78. Tragedia de Christo. Passio. Lib.1. contra Iulianum Epistola 81. Hom. in Dñi. Hypop. Hom.2. de Nat. Domini. Lib. 13. de Civit. Dei cap.18 Serm. 10. de provid. Hom. 2. de Cruce, & sepultura Dñi. In lib. 1. cantic. Hom. 1.

In eandem sententiam incidunt Hilarius, Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus, Eusebius Emissenus, Augustinus, Theodoretus, Maximus Taurinensis, & Rupertus, & multi alij, quibus subscriptum inveniemus Originem ita concionantem: *MARIA desponsata fuit Ioseph, non tamen in concupiscientia iuncta, Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta, Mater eius, cuius eius? Mater DEI unigeniti Domini, & Regis omnium Plasmatoris, & Creatoris cunctorum, illius, qui in cœlis sine Matre, & in terra est sine Patre. Ipsius, qui in Cœlis secundum Deitatem in sinu est Patris, & in terris secundum corporis susceptionem in sinu est Matris. O magnæ admirationis gratia! O inenarrabilis suavitas! O inefabile magnumquè Sacramentum. Ipsa eademquè Virgo, ipsa, & Mater Domini; ipsa, & Genitrix, ipsa eius Ancilla plasmatio eius, ipsa, quę genuit. Quis umquàm ista audivit? Quis vidit talia? & quis cogitare potuit, ut Mater Virgo esset, & intacta generaret, quæ, & Virgo permansit, & genuit.*

Non taceamus Divum Hieronymum, qui in sacris peritissimus litteris varijs epithetis Virgini-

tatem simul, & Maternitatem Deiparæ Virginis non minimè laudat: *Hæc est illa porta orientalis* (inquit) *ut ait Ezechiel, semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens Sancta Sanctorum, per quam Sol Iustitiæ, & Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur, & egreditur.* Et alibi: *Christus Virgo, Mater Virginis nostri Virgo perpetua, Mater, & Virgo, Iesus enim clausis ingressus est ostijs & in sepulchro eius, quòd novum, & in petra durissima fuerat excissum, nec antea quis, nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus: de quo fonte ille fluvius manat, iuxta Iocl, qui irrigat torrentem, vel funium, vel spinarum, quæ suffocant sementem Patris familias.* Et alibi: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur. Pulchrè quidam portam clausam per quàm solus Dominus Deus Israel ingreditur, & Dux cui porta clausa est, MARIAM Virginem intelligunt, quæ, & ante partum, & post partum Virgo permansit.*

Lib. contra Iovinianum.

Ex apologia ad Pammachium pro libro cōtra Iovinianum.

In Exposit. in Ezechielē, lib. 13. cap. 44.

Non minus Sanctorum Patrum, totiusquè Orbis adstitit timor, ne Virgo Mater ob humilitatis, & Virginitatis præclaras suas virtutes in præstatione consensus in Angelica legatione retardaretur, vel forsan negaret; quia cùm æterna sapientia decreverat, non nisi habito Virginis MARIÆ consensu carnem nostram assumere, præcisè ab illa hoc humano generi beneficium præstandum dependebat; noscebatur etiam Beatam Virginem in virtutibus omnibus maximè crevisse; sed Virginitatis, & humilitatis cæteris prætulisse; hocquè in

ipsa

ipsa Angeli annuntiatione satis fuit demonstratum, nàm cùm ipsam concipere, & parere narrasset Angelus, statim Virginitatem suam Virgo declarat: *Quia virum non cognosco?* Sequè eam observaturam indicat. Et cùm se Matrem futuram Dei Angelus promit; se Ancillam planè Virgo profitetur; sicquè illico, vt Virgo Beata consensum Altissimi decreto præbuit, & Verbum Domini fieri illi secundum Angelicum annuntium expectaret; tota Sanctorum Patrum exultavit multitudo, & gaudio repleti gratias Deo plenissimas retulerunt, hæcquè Virginitatis, & Maternitatis miraculosa vnio effectum habuit; vtrumquè Venetus Patriarcha mirificis exposuit verbis: *Isto vnico* (inquit) *responso complevit Cælum gaudio, Angelis omnibus exultationem præbuit, captivo sæculo spem dedit, dæmones vniversos exterruit; astantem lætum fecit nuntium, ac detentis in inferno Patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippè avido, extensis in Cælum manibus, propatulo cordis auditu huiuscemodi præstolabantur responsum: erat nempè illis præ libertatis amore diuturna nimis expectatio, pavidaquè observatio, ne ob humilitatis virtutem retineretur Virgo, consensumquè negaret. Verum, & datum à MARIA percepere responsum, omnes pariter prorrumpentes in laudes Domino decantavere, dicẽtes: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit Redemptionem plebis suę.*

In Lucam.

Tertia verò vnio mirabilis est Fides, & cor humanum, nàm mirum est quomodo humanum cor rebus ita difficillimis, & sensibus contrarijs Fi-

dem

dem accommodavit. Quando ergo credi potuit, quòd Deus homo esset, & Virgo permaneret, quæ peperisset, nàm lapsus homo corruptę mentis impotentia, Omnipotentiæ Dei semper adversatur; iudicat enim id fieri non posse, quòd cœci cordis non capit angustia; & sic necessè est credendum; vt humani ingenij imbecillitas, potentia divini brachij firmetur. *Ergo ne credendum est* (inquit Bernardus, qui in his trinis miraculosis vnionibus probationes ducit) *Quòd iste Deus sit, qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum iniurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulcro, & inter duos lapides concluditur, excelsus, & immensus? Illa ne Virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est, in convivio in Thalamo; qui ducit illam in Egyptũ, & solus cùm sola tàm longinquam, tàm secretam conficit viam? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano? Vniverso Orbi terrarum? Et tamen* (inquit idem Bernardus) *tàm facile, tàm potenter persuasum est, vt mihi id credibile faciat crẽdẽtium multitudo. Iuvenes, & Virgines, senes cùm iunioribus elegerunt mille mortes mori, quàm vel ad momentum ab ista Fide deficere.* *Serm. 4. de Nativit. Virg.*

Albertus Magnus, hanc distantiam summa dexteritate vnit, sapienterquè declarat: *Quæ altiora* (inquit) *possunt esse his, quæ hic conveniunt? Mater, & Virgo illibata vniuntur ad invicem: ima, & summa, vltima, & prima: & quòd omnibus altius est, cùm corde humano ista mirabilia. Mater, & Virgo per incompossibilitatem distabãt* *In cap. 1. Luc.*

bacte-

hactenus. Ima, & summa per infinitatem à se invicem discedebant. Cor humanũ ab his per irrationabilitatem.

Coævus noster D. Ioseph à Zerda Episcopus Almeriensis Ordinis Benedictini, olim in Salmanticensi Vniversitate Primum Cathedræ Divi Thomæ, postea primariæ Theologiæ meritissimus Moderator in libro suo de MARIA, & DEO incarnato per elegans in hac materia dilemma facit. *Tria quidem hæc* (inquit) *se arguunt per gradus. Si Deus homo sit, quàm putas genitricem, nisi Virginem. Si Virgo concepit Verbum, ab aure factam credas. Vnum est, & Fidem concepisse, & Virgineè. Do iterum Bernardum in Vigilia Nativitatis Sermone primo ad principium, Fratres generationem istam, quis enarrabit? Angelus nuntiat; virtus obumbrat Altissimi; supervenit spiritus, Virgo credit, Fide concipit, Virgo parturit, Virgo permanet. Eodem ordine argue: quia Virgo credit, Fide concipit: quia Fide concipit, Virgo parturit.* Prosequitur idem Præsul: *Non potuit amplius exaggerari cordis, & Fidei vetusta, hostilisquè distantia. Advenit Deus Verbum, & ab ipsomet adventus vestibulo in Verbi genitrice cor, & Fides illico colligantur. Si Fides ex auditu est; quid quod adveniente, personantequè Verbo, in Verbi Matri auspicetur? Si Verbum ex Patris corde placida scaturigine procedit, ibiquè delicioso fovetur amplexu; cur tàm difficile est Fidei Verbi cùm corde vinculum: cur illa superna soboles non innata propensione in similem Paterno gremio sinum se immittat? Quoniam Fides, sicut*

Academ. 31. sect. 5. num. 36. & 37.

Ver-

Verbum, mentis est opus, & à mente decidit homo per piaculum, irrationalis serpentis, vt superiori sectione dicebamus, callidis cavillis deceptus ideò tam longe distabat Fides, donec Virgo eluceret, quàm divinæ rationi propinquàm alibi datus nuncupat Rupertus; & à corde Patris abducens Verbum, rationabile præberet obsequium.

Pater Adrianus Mangotius Gaudanus Belga, è Societate Iesu in suis pijs simul, & doctis Marianis Monitis, ex tribus relatis vnionibus, alias tres deducit considerationes, & tria pariter præbet remedia; quibus non parum profuisse eos qui atentè legerent, & observarent tutò crederemus.

Prima consideratio est de illa mixtura admirabili, qua Deus, & homo, imò Deus, & limus (nàm formatus est homo de limo terræ vt Genesis, 2. habetur) in vna persona divina coniunguntur. Tãta maiestas, & tanta infirmitas; tanta vilitas, & tanta sublimitas. Nihil enim Deo sublimius, & nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in Limum, tantaquè dignitate Limus ascendit ad Deum, vt quidquid in eo Deus fecit, Limus fecisse credatur quidquid Limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tàm ineffabili, quàm incomprehensibili Sacramento: Vnde Sanctus Leo: *Vtriquè naturæ* (inquit) *in suis propietatibus permanenti tanta est vnitatis facta communio, vt quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disiunctum: quidquid autem est hominis, non sit à Deitate divisum.*

Monito Mariano 21.

Sermon. 8. de Nat.

Hæc munifica liberalitas Dei, & Salvatoris nostri hortatur nos ad Divinam quandam vitæ ratio-

Sermo. de Nat. nem ineundam, vt graviter ostendit idèm Leo: *Agnosce* (inquit) *ò Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli de generi conversatione in veterem vilitatem redire.* Hinc nos ad gratitudinem animi summam Divus Bernardus monet, *Adverte* (inquit) *quia Limus es, & non sis superbus. Quid enim superbis terra, & cinis? Adverte etiàm quia Deo iunctus es, & non sis ingratus.* Excitat etiam ad magnum proximi nostri amorem ac æstimationem, etiàm si statu, conditione, & miseria contemptibilis videatur vt idem Sanctus Leo docet. *Non sit vilis homo homini, nec in quoquam despiciatur illa natura, quàm rerum conditor suam fecit.* Et dat nobis æternæ salutis spem maximam vt ex Psalmo illo, *Ad te omnis caro veniet;* deducit Sanctus Augustinus. *Quare* (inquit) *ad illum omnis caro veniet? quia carnem assumpsit. Quo veniet omnis caro? tulit inde primitias ex vtero Virginali: assumptis primitijs, cætera consequentur, vt holocaustum compleatur.*

Sermone 4. de collect.

Psal. 64. vers.

Psalm. 64.

Quomodo hominibus prosint istæ vniones, remediumquè illis sint, ita dictus Mangotius ratiocinatur. In prima vnione tàm admirabile remedium est; quia ex Deo, & homine medicamentum confectum est, quo sanaret omnes infirmitates nostras. Hoc enim officium Redemptoris requirebat, vt Deus esset, & homo. Si enim Deus tantùm esset, pati non posset; & proinde Iustitiæ Dei pænas pro peccatis exigenti nequaquàm satisfieret. Si tantum homo, tanti pretij non esset, vt condignum aliquid pro peccatis hominum exolveret, qui omnes æternæ mortis rei erant. Ac plane etiàm conveniebat,

me-

mediatorem Dei, & hominum vtramquè habere, naturam, vt ex vna conveniret cum Deo Patre, qui offenſus erat; ex altera cum homine, qui Deum offenderat Optimè Diuvs Auguſtinus pau ciſsimis in verbis hoc idèm docet. *Mediator* (inquit) *inter Deum, & hominem oportebat, vt haberet aliquid ſimile Deo, aliquid ſimile, hominibus; ne in vtroque hominibus ſimilis, longe eſſet à Deo, aut in vtroquè Deo ſimilis, longe eſſet ab hominibus atquè ita mediator non eſſet.* *de civi. Dei lib. 6. cap. 15.*

In ſecunda autem vnione adiutorium eſt, vel vaſculum, ex quo remedium illud datur, & ſumitur. *Quia enim nos indigni eramus quibus daretur dàtum eſt Mariæ; vt per illam acciperemus quid quid haberemus.* Vt verbis Bernardi vtamur rationemquè ſuæ ſententiæ ita declarat. *Quæ per hoc, quòd Mater eſt, genuit nobis Deum, per hoc quòd Virgo eſt, exaudita eſt pro ſua reverentia in cauſa totius generis humani. Si ſola mater eſſet, ſufficeret ei, vt ſalvaretur per filiorum generationem, ſi ſola Virgo, ſufficeret ſibi, nec benedictus fructus ventris eius mundi pretium eſſet, & lauacrum. Cum ergo in prima vnione ſit remedium, in ſecunda adiutorium eſt; quia nihil nos Deus habere voluit, quòd per manus Mariæ non tranſiret.* *Sermone 3. de Vig. Nat.*

In tertia mixtione, meritum eſt. Nàm cum hæc firmiter credimus, iàm meritum habemus, quo hoc remedium ex B. Virgine nobis datum, participamus, & in Fide ſanitas, ac ſalus eſt, quia *qui cre diderit ſaluus erit*, vt Lucas ait, *& fide iuſtificatur homo*, vt alibi docet, fide enim agnoſcimus remedium nobis natum, nobis datum ex in tacta Vir- *Lucæ 7. Actor. 15.*

 gine;

gine, illud ipsum Fide ex animo petimus, Fide nobis ipsis per Sacramenta, & similia media applicamus, sicquè sanitatem ac salutem adipiscimur. Beneficio Fidei, & iustè, & Beatè vivitur, neque salutis iter hominum quisquàm ingreditur, facem ei nisi prætulerit. Per illam quo sit totius vitæ cursu contendendum, & qua sit eundum ostenditur, ac nisi sua luce humanæ mentis tenebras discusserit, perpetua necesse est ignorantiæ in nocte versetur. Hanc illa suis radijs illustratam omni errore liberat, & post quàm se hic illi, paululum intelligendi aviditate repressa, submisserit, eandèm obedientiæ suæ præmium reportaturam, ad Deum videndum introducit.

Arguit se Mangotius, & in primis interrogat, annon Christus Incarnatus pro nobis ex Maria Virgine, & pro nobis in cruce passus, ac mortuus, verùm, & potens, ac singulare remedium sit contra omnia vulnera peccatorum, efficax ad sanitatem, ac salutem omnibus omnino hominibus conferendam? quòd negari non potest nec debet imò vt Chrysostomus ait Multò plura Christus pro nobis exsolvit, quàm debebamus; tantoquè plura, quanto guttulam exiguam pelagus immensum excellit. Cur ergo super tàm multos manet ira Dei, & tàm pauci sanitatem ac salutem consequuntur? respondet cum Divo Prospero, quia huius remedij participes non sunt. *Poculum quippe immortalitatis* (ait Prosper) *quod ex infirmitate nostra, & virtute divina confectum est, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.* Bibendum est ergo, vt medeatur, bibitur

In cap. 5. ad Roman. Sermone 10.

Art. 1.

bitur autem Fide non ficta, oratione devota ac humili, suavi recordatione Incarnationis, & passionis Christi, & pro eijsdem gratiarum actione, recto, ac legitimo vsu Sacramentorum, & in primis Sacrosanctæ Eucharistiæ, vbi non tantùm Fide Christum Incarnatum, ac passum accipimus, eiusquè Incarnationis, ac passionis participes efficimus, sed, & corporaliter ipsummet in nobis recipimur.

Concludit igitur, opus esse, vt quoniam pro omnibus semel gestum est hoc beneficium, cuilibet sigillatim communicetur, singulari circa vnumquemque operatione Spiritus Sancti, quisque diligenter Fidem suam exerceat, ad orationis, & gratiarum actionis præsidia sæpæ confugiat, Sacramentis Christi, & Eccelesię frequenter, ac legitimè vtatur, quo per hæc, & similia veluti per canales quosdam, atquè alveos fructus Christi Salvatoris ex Maria Incarnati, ac pro nobis in Cruce mortui, ad nos derivari possint. Qui sunt peccatorum remissio, Iustitia, ac Sanctitas vitæ, ab insidijs diaboli protectio, gloriosa deniquè resurrectio.



CA-

CAPVT XVIII.

DE FIDEI VIRGINIS connubio ubi sermo, Maritus, & uxor auricula fuit.



N connubijs, illa præsertim summis debent laudibus celebrari, quæ ab impollutis animis, & corporibus segregata Virginitate servata individuam vitam continent: Hinc coniugium Beatæ Virginis cū Divo Iosepho ita celeberrimum prædicatur cum desponsata, & Virgo simul esse inveniretur; quòd blasphemi Hæretici nec nominare volunt; adversus quos iustè insurgit Divus Thomas hoc coniugium validum, stabile, & rationi congruum defendens. *Mater Domini* (inquit) *fuit desponsata, & Virgo, quia in persona ipsius, & Virginitas, & matrimonium honoratur, contra hæreticos, alteri horum detrahentes.* Accinit Sanctus Basilius in hæc verba, *Virgo erat, & viro desponsata, & apta coniugali officio obeundo putata, ut, & Virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium non propterea improbaretur.*

3. p. quæst. 29. art. 1.

Hom. 25. de Christi genera.

Nup:

Nuptias, non concubitum, sed consensum facere iurisconsultus Vlpianus affirmavit vnde Diuus Augustinus hoc idem in Beata Virgine laudans. *exequitur* (inquit) *humanam generationem Christi Matthæus ab Abraham generatores commemorans quos perducit ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus*, Neque enim fas erat, vt ob hoc eum à coniugio Mariæ separandum putaret, quòd non ex eius concubitu, sed Virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnificè insinuatur Fidelibus coniugatis, etiàm servata pari consensu continentia, posse permanere vocariquè coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.

L. nuptias. 30. ff. de reg. iuris.

Lib. 2. de consensu Evange. cap. 1.

Aliud coniugium in totum spirituale, internumque in Fide Mariæ celebratum Oseas Propheta prædixit, cum dixit, *Desponsabo te mihi in Fide.* vbi Maritus est sermo, vxor auricula, annulus pronubus signaculum cordis, partus consensus; tota hac munditia, & splendore generatio Christi perfici debuit, vt S. Fulgentius ibi: *O contanctio sine sordibus facta; vbi maritus sermo, & vxor auricula; hoc splendore concipitur Dei Filius, hac munditie generatur.*

Osea. cap. 2. vers. 20.

Fulgentius.

Loco mariti est sermo, hic est de quo dicit Ecclesia à regalibus sedibus venisse, dominicumque esse sermonem, *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret Omnipotens sermo tuus Domine à Regalibus sedibus venit*; *sermo* iste Spiritus Sanctus est, qui vt Sponsus Virginis super venit in eàm, vt magni regis in vtero eius Nativitatem peregit; vt gratiàm

Antiph. ad benedic. Dominicæ infra octa. Nativitatis.

illi agens ita fassus Gregorius Taumaturgus proponitur. *celebratur* (inquit) *Spiritus Sanctus, qui in vtero tuo Nativitatem magni regis peregit.* & de hac fæcũditate etiàm in animas Sanctas eidem Sancto Spiritui gratias agens ita Guarricus Abbas loquitur. *Gratias tibi ago Sanctè Spiritus qui vbi vis spiras, video in munere tuo non vnàm sed innumeras Fidelium animas illo generoso germine gravidas.* Spiritus Domini, est maritus, & Dominus, vnde intelligendus venit Esaias dicens. *Quia dominabitur tui, qui fecit te.* quæ verba ex hæbræo vertens Forerius; sic ait. *Quia maritus tuus erit qui fecit te*: & nomen *Baghal*, & maritum, & Dominum significat. Sicquè dominatur qui maritus est, & virtus Domini vere maritat mentes nostras; vt aprimè novit, & confessus est Divus Augustinus in suis confessionibus. *Deus lumen cordis mei, & panis oris intus animæ meæ, & virtus maritans mentem meam.*

Serm. 2. in Annunt. B. Virg.

Serm. 2. de Annuntiatione.

Esaias cap. 54. vers. 5.

Lib. 1 confessi. cap. 13.

Loco viri spiritum tamquàm Virginis Sponsum obumbrasse, ac fœcundasse Virginem, ex illis canticorum verbis *Osculetur me osculo oris sui*, ipsa sponsa fatetur, & hoc idem in reliquas animas Sanctas exercere, Sanctus Antonius Vlisiponensis ita manifestat. *Soror nostra (id est primitiva Ecclesia) paruula est numero Fidelium. Et vbera non habet, quibus Filios suos lactet. Non dũ enim fuit gravidata Spiritu Sancto; & ideò dicebant ibidem Quid faciemus sorori nostræ in die Pentecostes, quando alloquenda est allocutione Spiritus Sancti? Auricula* rectè dicitur vxor, quia vxoris officium in Beata Virgine obtinuit in ea purus concipiendi

Cantic. 1. vers. 1.

Sermo. in Septuagessima.

modus

modus extitit nam ad modum mentis, quæ res obiectas intelligendo, verbum format, & producit, se habuit. Conceptio etiam verbi purissima debet dici, quia intellectualis modus fuit, per Fidem, quæ exaudita est, & sic per aures concepisse potest affirmari, vt Ricardus à Sancto Laurentio expresse docuit, *Per Fidem concepit* (inquit) *vnde, & per aurem dicitur concepisse, id est: per Fidem dictorum, quia Fides ex auditu, ideo dicitur ei, Lucæ. 1. Beata quæ credidisti.* Lib. 1. de laud. Virg. cap. 3.

Virgo Beata aure recepit Angeli verba, vt cùm sermo diuinus sit omni ense penetrabilior, & efficax sine læsione aliqua viscera eius penetrauit, & ventre concepit, Sanctus Ambrosius de isto concipiendi modo ita ait. *Verbum Dei vivum, & efficax per aurem penetrat ad viscera sine lesione; & homine assumpto verbum inter homines, nascitur sine sui diminutione, & Maria Virgo, generat sine corruptione. Venit Christus de Cœlo, aure concipitur, & talis Maria remansit postquàm peperit, qualis fuit antequàm verbum aure conceperit, & vtero gestaverit.* Hinc profluit hymnodius ille pervetustus locus qui ita conceptus circa hanc mentem reperitur. Tom. 2, in fragmento super c. 30. proverb. Salomonis

Gaude Virgo Mater Christi,
Quæ per aurem Concepisti,
Gabriele Nuntio.

Auribus suis duplici ex titulo per maximè Beata Virgo, profuit nobis. Primo quando eas ad audien-

Lucæ 1. ver. 18. diendum verba salutis posuit, & simplici auditu Verbum suscepit bonum quòd nuntius Angelicus eructabat dicens. *Ave gratia plena* præparavit què aures, vt illac intraret remedium, qua morbus irrepserat, & eijsdem vestigijs sequeretur vita mortèm, lux tenebras, veritatis antidotum, serpentis antiqui mendacium, vt que fieret vitæ ianua auditus, qui aditum dederat morti ingredienti in orbem terrarum. Secundo: quando se Beata Mater in auricularem fistulam commutavit (quodammodo pia Metamorphosi) vt facultatem præberet Deo audiendi preces nostras; hoc què ex illo David Regis psalmo. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua* probare possumus, sicquè confidenter dicere valemus Domino Deo nostro, postquàm cæpit audire per illas misericordiæ aures, quas ei Virgo Deipara adaptavit illud quòd Apostolus Paulus scribens ad Hæbreos mysterijs plenùm illis proposuit. *Ideo ingrediens mundum, dicit hostiam, & oblationem noluisti.* nàm si antea aliqua ratione exaudire solebat Dominus humani generis deprecationes erat per hostias, & oblationes, iàm non eas appetit, sed aures perfecit nobis, licèt tunc videantur perfici quando celerius aliquem exiguum clamorem audire incipiunt quàm antèa magnum percipiebant: postquàm aures recepit carneas, ijsdemquè apposuit tamquàm auricularem fistulam Matrem suam (quàm semper adhibet vt intendat precibus nostris) tanta audiendi, axaudiendi que facilitate pollere cæpit, vt etiàm præparationem cordis eorum, qui deprecantur exaudiat cùm antea clamores validos raro ad-

Psalm. 9. vers.

Hæbr. 10. vers. 5.

admodum exaudiret. Quare merito corpus humanum Christi, auris divina, & auricularis fistula, qua auris perficitur, dicitur Virgo Maria. Hoc dat nobis intelligere Spiritus Sanctus per os Pauli Apostoli sui scribentis ad eosdem Hæbreos, explicantis quòd Psalmus 39. per Davidem pronuntiaverat, postquàm ostendisset, non auferri peccata per sacrificia legis. *Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Ex quo sequitur, non audivisse illos Deum, quantocumquè per ea clamore vociferarentur: *ideò* (inquit Paulus) ingrediens mundum dicit: *Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*; Et sic interpretatur quòd in Psalmis dixerat David: *Aures autem perfecisti mihi.* Aures enim illæ, per quas iàm facile axaudit Corpus, sunt illud, quòd à Virgine sumptũ ita cõcinnè ei aptatũ est, vt ad facilitandã exaudiendi facultatẽ semper adsit ipsa Virgo, tam quàm medium quoddam axaudiendi instrumentũ

Hæbreor. 10. vers. 4.

Annullus pronubus datus fuit Beatæ Virgini, à Sancto Iosepho in sponsalitijs suis. Consuetudo, erat antiquitus observata inter Hæbreos annulum sponsalem loco Arrhæ dari, vt colligitur ex illo Genesis. *Dixit Thamar: patiar quòd vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas, quòd polliceris; ait Iudas, quid vis pro arrhabone dari? respondit, annulum tuum.* Ex hoc principio alijsquè fundamentis hanc consuetudinem probat Cardinalis Baronius in suis annalibus.

Genes. 38. vers. 17. & 18.

Annuli Sponsalium Beatæ Virginis, quo Semimurensis apud Mandubios in Burgundia Prioratus nobilitatur, meminit Genebrardus in Chro-

Tom. 1. ann. anno Christi 57. pag. 94. in impress.

nographia; & de alio annulo qui extat Perusiæ, qui propter multa miracula edita, in magna veneratione habetur, mentionem facit Ferreolus, Locrius, sed cuius materiæ sit, distinctè discerni non potest, servatur in Ecclesia Sancti Laurentij in Civitate prædicta Perusiæ Italiæ.

Lib. 5. de Ma. Augusta. cap. 31.

Iuxta Divi Isidori sententiam in libro suo de officijs de qua fit mentio in quodàm decretalium capite, annulus Sponsę à Sponso dabatur, nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter illud magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur, vnde, & quarto digito annulus inseritur; ideò vt ibi sit vena quædam per quàm sanguis, vsquè ad cor perveniat; in isto Sponsalitio Dei cum humana natura ita fecit Deus Pater desponsans sibi totum humanum genus, & quamlibet animam Fidelem: dedit enim prætiosissimum annulum semper ab hominibus servandum, tria continentem, scilicèt, lapidem totum ambientem, & continentem, Adamantem quoad divinitatem, ferrum quo ad humanitatem, aureum circulum, quo ad Charitatem. Adamas est parvus, & lucidus lapis, tamèn fortissimus, quia est infrangibilis. Ita Dei Filius est quoad divinitatem parvissimus in Incarnatione, quia *cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*, fuit lucidus quia *erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt Ioannes testatur, fortissimus iuxta Psalmistam, *fortis, & potens in prælio.* Per ferrum intelligitur humanitas; Quia sicut Adamas intra ferrum vult stare sicut in loco propio ibi-

Lib. 4. de officijs cap. 16.
Ca. 10. de SS. & reindicata
Philip. 2. vers.
Ioan. 1. vers.
Psalmo. 23. vers.

ibiquè propius suam virtutem ostendit; ita Dei Filius voluit stare, & in castrari in nostra humanitate; fuitquè incastratus quando fuit Incarnatus; *& verbum caro factum est*; & in hac assumpta carne magnam ipse ostendit suam virtutem, & misericordiam, dùm in ea, *operatus est salutem in medio terræ*; & ostendit suam bonitatem, & valorem quando talia passus est pro nobis, *& factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Aureus circulus totùm continens, & ambiens, & digitus illum gestans, & induens; charitatem Dei in Christum significat, quæ connectit divinitatem, & humanitatem, & quemlibet hominem, vt ad Ephesios scribens Paulus nos omnes edocuit dicens. *Deus qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem qua dilexit nos conuivificavit nos in Christo*, Et inde sequitur quòd *Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet; & Deus in eo*; vt Evangelista Ioannes docet. Istum ergo annulum dedit Deus humano generi in desponsatione in Incarnorione, cuius præcessit figura. Quando Pharao dedit suum annulum Ioseph; vt in genesi legitur. *Tulit itaque annulum in manu sua, & dedit in manu eius*; quantum ad divinitatem; *vestivit eum veste byssina*; quantum ad humanitatem, *& collo torquem auream circumdedit*; quantum ad charitatem; quia igitur annulus hæc tria continebat; ideò tria posuit Psalmista de eo; *Domini* quantum ad humanitatem; *Dei*, quantùm ad divinitatem; *Nostri*, quantum ad charitatem vt Psalmo 104. legitur. *Ipse Dominus Deus noster in universa terra iudicia eius*. Istum autem annulum

Ioan. 1. *Ephes. 2.* *Ioan. 1. vers. 4.* *Genes. 41. vers.* *Psalm. 104. vers.*

lum dedit nobis Dominus ad portandum in digito, id est, per Fidem, & charitatem gerendum, & cognoscendum in animo; & valet ad infinita, & ad omne malum respuendum; & ad omne bonum prosequendum.

Annulus in hoc Fdei Virginis sponsalitio, est signaculum super cor suum, dequo ita Sponsa sponso. *Pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*; petijt Virgo Sancta vt in signum gratitudinis suæ illam Dominus vt signaculum super cor suum, & super brachium suum poneret; signaculum vel sumitur pro ipso illo instrumento, quo signamus quidpiam, quòd tàm in sacris, quàm prophanis sæpissimè *annulus* apellatur, quia annulo pleriquè vtebantur ad signandum, vel certè pro eiusdem annuli impressione, imagine, seu charactere; vtrumque facit ad explicationem nostram: Atquè in primis vult Deus poni vt signaculum seu annulus super cor, & brachium nostrum, id est, ipse vult nobis esse charissimus, & amantissimus. Hac loquendi figura Dominus alloquitur Zorobabel (vt attestatur Agæus Propheta) *Assumam te* (inquit) *Zorobabel Fili Salathiel, serve meus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi*. Similem loquendi phrasim habemus apud Ieremiam. *Vivo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Iechonias Filius Ioachim Regis Iuda, annulus in manu dextera mea, indè evellam eum*. Dicit nunc Virgo mater, assumam te Domine mi, & ponàm te quasi signaculum, quia te elegi in Dominum mihi rerum omnium charissimum. Et licèt annulus gestaretur in digitis, esset que indi-

Cantic. 8.

Aggæus 2. vers. 24.

Ieremiæ 22 vers. 24.

cium

dicium ingenuitatis, & Virgo Beata ancillam Domini esse fateatur; non ei interdicitur eius gestatio, nec quid præter conditionem suam fecisse arguitur, imò quo humiliorem edidit vocem, ad maiorem fuit provecta dignitatem, & nobilitatem, nec periculum adest, si annulum portaverit, imò illum portare debet, & cupit, nàm si gestantes illum annulum materialem digito ponebant, qui minimo manus lævæ est proximus, in quo (vt super dictum est) neruulus quidàm desinit è corde proveniens, erat is neruus (ait Pierius) cordis indicium; ideo què institutum ab Ægyptijs vt annulo tamquàm corona honestaretur: in eo autem gerebãt eorum imagines quibus solis cor suum, & Fidem illibatàm servabant, ex ista cõsuetudine, vt mancipium Beatæ Virginis in quodam annulo suo dulcissima hæc verba. *Ave Maria*, insculpta habebat, & portabat Sanctus Edmundus, qui Virginitatem in ipso vernantis ætatis flore Deo coram Beatæ Mariæ signo vovit eandemqnè annulo, quèm sibi detraxerat in imaginis digitum immisso, cui scriptum erat *Ave* Fidei perpetuo servandæ pignore concredit in Sponsam adlegit, vt Novarinus notat. Quàm in corde signaculum hoc vel annulum Virgo Beata portaret, eius vita, & Cœlestes operationes satis testantur, tamquàm character Animæ impressus inviolabilis, constans, & perpetuus permansit: Vnde Sanctus Germanus signaculum testamenti eàm vocavit. *O Virgo signaculum eius testamenti, Finis eius consiliorum*; Et Sanctus Bonaventura cordis signaculum eàm indigetat, illam sequentibus verbis, alloquens. *Ponàm te sicut signacu-*

Lib. 41. de annulo.

Lib. 4. Vmbræ Virgineæ. cap. 39.

De present. V. In eius Tsaite.

naculum super cor meum, quia fortis est vt mors, dilectio tua Et Virginitatis sigillum vocavit Alanus. *Mater* (inquit) *est Dei sacrarium Spiritus Sancti, sigillum Virginitatis, speculum humilitatis* Aliud annulorum, & signaculorum erat officium, & vsus, vt ijs non tantum litteras, sed, & quæcumquè curiosius asservata volebant; obsignabant; ità in libro Danielis legitur, Darium Regem misso Daniele in lacum Leonum possuisse lapidem super os laci, *quèm obsignavit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* Et ad id putat Clemens Alexandrinus Sponsis datum à maritis annulum. *Dat ei* (inquit) *annulum aureum, nec eum quidèm ad ornatum, sed vt eo obsignet quæ domi digna sunt quæ custodiantur, propterea quòd servandæ domus ad eam cura pertineat.* Et secundum hunc signaculi vsum, dum Virgo Maria petit poni vt signaculum super cor & brachiũ Domini, hoc sibi velle videtur vt nullum aliud signaculum præter Deum suum cordi suo figat hoc què servetur super cor suum, quo quidquid cogitationis aut desiderij ex illo prodierit, obsignatum prodeat huiusmodi signaculo. Felix anima, cuius cor tali signaculo, & vmbraculo custoditur, ridebit occursantium hostium vires, insidiasquè, nàm dabit sponso suo delitias, & recipiet, & sub hoc vmbraculo carnis æstus quiescunt, motus comprimuntur, puris voluptatibus cor innatat, summa perfruitur pace.

In cap. 1. cant.

Daniel. 6. vers. 16. & 17.

Lib. 3. pedago. cap. 2.

Connubij huius partus, & fructus fuit consensus Virginis præstitus Angelicæ legationi, hic expectabatur vt Filius Dei in suis visceribus carnem

su-

ſumeret, & ſpirituale illud matrimonium inter Filium Dei, & humanam naturam contraheretur, vt Divus Thomas his verbis demonſtrat. *Nàm per Angeli Annuntiationem expectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ in ſpirituali illo matrimonio inter Filium Dei, & humanam naturam.* Vnde ſalutis noſtræ autrix, ac reparatrix generis humani Virgo Beata dicitur; cuius beneficij memor Divus Auguſtinus ſe gratum ofert, animiquè affectum Beatæ Virgini pro conſenſus præſtatione his verbis exhibet, *O Beata Maria, quis tibi valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito? quas tibi laudes fragilitas humani generis perſolvet, quæ ſolo tuo commercio recuperandi aditùm invenit?* Quanta ergo Virgo Beata illo ſuo verbo, *fiat*, lætitia affecerit mundum explicari non poteſt, nec cogitari? expectabat hoc reſponſum creator, & ſtatim quo illud Beata Virgo exhibuit, ex ſinu Patris ſe in cor Virginis demitti; primorum parentum præ gaudij magnitudine quaſi oblitus vt tunc dicere poſſet, *delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum*, quòd altè contemplans, & devotè conſiderans, in hunc modum exprimit Ricardus à Sancto Laurentio: *Eructavit* (inquit) *illud verbum bonum melliſluum, & ſuave: Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum in hoc autem Verbo nectareo in tantum exiblaravit de ſalute noſtra ſolicitum, Regem Cœli, quòd quaſi factus immemor iniuriæ primorum parentum, à ſede Regali ſtatim deſcenderet, velut depoſito diadematè gloriæ, & Cœlos diſrumpens, exiliret*

3. p. q. 30. art. 1

Serm. 18. de S.

Proverb. 8.

Lib. 2. de laud. Virg.

liret eodem momento de sinu paterno in vterum Virginalem, vociferans illud, proverb. 8. delitiæ meæ esse cum filijs hominum. Cogitare semper, & meditari debemus quid Virgini Beatæ assensui debeamus? quid etiam debeant Angeli quid omnes homines, quid Cœlum, quid terra? nàm in sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce morimur, in illo brevi responso sumus reficiendi; vt ad vitam reducamur, *& sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur* idē & de Maria respectu Evæ affirmare possumus; cui sensui præivit Amædeus; *sicut* (inquit) *in Eva omnes moriuntur, ita, & in Maria omnes vivificabuntur;* vt qui extra illam extra vitam sit; tantum ergo consensui præstitito debemus; ac per consequens præstanti gratos nos exhibere; quando ex hoc principio tota salus ac Redemptio humani generis effluit. Iam benè videtur quàm per partes totius connubij huius Spirituale consortium probatum extet, hocquè laudans (vestigia Fulgentij sequens) Sanctus Eleuterius Episcopus Tornacensis ita Virginem alloquitur. *O, Virgo benedicta, O Virgo à conditore Mundi præelecta, illum qui ante omnia sæcula genitus est, absque matre ab Æterno Patre concipies, mater effecta absquè alicuius viri copulatione. Ibi enim auricula vxor fuit Angelicus autem sermo maritus extitit.*

1. Corinth. 15. vers. 22.

Hom. 2.

Serm. de Annunt. Virg.

*

* *

CA-

CAPVT XIX.

EORVM, QVÆ BEATÆ Virgini revelata fuere, & in his, quibus illuminata, & illustrata fuerat, Fidem habuisse, edocetur.



Vpra in capite tertio huius tractatus cùm de Moysi, visione, & Pauli raptu egimus, his, & altioribus privilegijs, & beneficijs Batam Virginem esse po titam probavimus, sed cito se offert quædam difficultas; nàm si Fides (iuxta difinitionem Pauli) *fit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, & Fides ex auditu, non ex visu comprobetur, nàm quæ videntur non Fidem habent sed agnitionem; *nec Fides habeat meritum, vbi humana ratio præbet experimentum*, vt inquit Divus Gregorius; Quomodo Beata Virgo de his quæ illi clarè revelata fuerè, vel quæ illi demonstrata dicuntur, Fidem habere potest? cùm Fides, & visio in se opposita maximè noscantur, & ivxta Divum Thomam, habenti perfectam scientiam denegatur habere Fidem de eadèm re de qua habet

Hab. 11.

hom. Paschali.

2a.2æ.q.1.5.

bet scientiam, quæ vna aliam excludit, & simul concurrere non valent, ergo confitendo Beatam Virginem perfectam habuisse scientiam, eo ipso Fidem non habuisse confiteri cogimur; quia illud scitur quòd videtur, & illud creditur, quòd non videtur; Inde Sancti, qui Cælo fruuntur, Deum què vident cum res præsentes habent, quas anteà crediderunt, illarum non habere Fidem dicitur, ergo idèm de Beata Virgine iudicare pèr videtur.

Et si iuxta Divi Augustini quèm sequuntur Divus Thomas, & Ricardus, Moysem in veteri testamento (sicut Paulum in novo) illo singulari privilegio perfunctos doceatur, vt in hac mortali vita essentiam Divinam, viderent, non per *speculum in enigmate* (vt Paulus docet) sed ad instar Beatorum; ergo si Virgo Beata eadèm consecrata est (& excellentiori, & perfectiori modo) quo assecutos dicimus Moysem, & Paulum etiàm confiteri compellimur sicut illi in his quæ viderunt, Fidem non habuisse, ita, & Beata Virgo.

Lib. de videndo Deum, & in 12 super Genes. c. 27. tom. 3. 2. 2. q. 175. ar. 3. in 4. sentent. distinct. 49. ar. 2. q. 6.

Licèt hæc ita se habeant pro certo stabiliendum venit Virginem Beatam Fidei virtutem in gradu perfecto habuisse, & de hac à Beata Elisabetha fuisse laudatam, cum dixit. *Beata quæ credidisti perficientur in te; quæ dicta sunt tibi à Domino.* Et quãvis Beata Virgo in hac vita mortali cõtemplata est Deum secundum viatorum statum, clarius ac cæteri omnes mortales; & Patres illi, quos Scriptura Sacra visiones altissimas, & revelationes habuisse commemorat. & non solum Virgo Beata vidit Deum secundum suam essentiam, vt Paulus, & Moyses, sed clarius, & pluries; nàm sicut

Luca 1.

ani-

anima Virginis similior fuit animæ Christi, quàm quævis alia Sanctorum vel creaturarum in omnibus suis perfectionibus, ita etiàm in cognitione Dei? & sicut anima Christi à principio creationis Divinam vidit essentiam clarè, quia iugiter erat viator, & comprehensor mortalis, & Beatus; ita suo modo, Virginis anima hac similitudine posita est, quantùm ea potiri potuit in hac vita pura creatura, non vt anima gloriosa, & per modum permanentis, vt Sancti, sed transeuntis (vt Theologi loquuntur) sed altius, & sublimius alio quolibet Sancto quamtumuis privilegiato. 2.2 q.175.ar. 3. ad 2.

Vnde fluit quòd licèt hæc Virginis Beatæ visio non esset ita perfecta, sicut Sanctorum qui in Cœlis sunt, mediam viam habet inter visionem Sanctorum patriæ, & exulsatus: vt Divus Thomas de visione Pauli, & Moysi docet; ita quòd Beata Virgo nō fuit Beata habitu gloriose, sed per illud tempus, glorioso actu, quo Beati perfruuntur, potiebatur; nam vt Ioannes Evangelista testatur, visione perfecta habitus gloriæ, nullus in carne mortali vidit Deum; & Moyses cùm videre Dominum faciè ad faciem cuperet, meruit audire; *Non poteris videre faciem meam non enim videbit me homo, & vivet*. Et cum visione hac, & cognitione Dei qui est actus solius gloriæ locum non habet habitus Fidei; cùm sola visio Beatorum (quæ in se includit habitum gloriæ) est quæ excludit perfectè Fidem; quia præsens habet, quòd Fides continet, id est, visionem claram, & permanentem essentiæ Dei. Ioan. 1. vers. 18. Exodi 33. vers. 20.

At visio, qua potita est Beata Virgo (iuxta Richelis sententiam) non solum non excludit Fidem,

sed

ſed eàm vehementius amplectitur, quia qui in hac vita vident Deum, ita Fides remanet roborata quo ad habitum; vt ceſante viſione, retineat quamdàm claritatem, & infalibilem certificationem omniũ illarũ rerũ, quas docet Sancta Mater Eccleſia, & Scriptura Sacra, vt nullo modo dubitare quis poſsit.

Lib. 3. de laud. Virg. art. 1.

Hanc doctrinam vt aſſolet, perdoctè fundat, & docet Albertus Magnus. *Concedimus ergo* (inquit) *quòd in Beatiſsima Virgine fuit habitus Fidei; & poſſunt duo habitus eſſe ſimul: vnus ad minus perfectum habitum, alter ad magis perfectum ſicut, & habitus qui eſt in raptu poteſt eſſe cum habitu Fidei: & tamdiu eſt aliquid de obſcuritate, & non ita plenè depurata, ſicut in ſtatu comprehenſoris quandiu eſt in via: illi tamen depurationi ſimillima* quæ eſt in patria quando potentia omnino erit deiformis.

Super missus eſt cap. 96.

In eandem venit ſententiam Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, ibi: *Fuit ergo in Beata Maria Fidei habitus ſicut, & actus, qui eſt in raptu poteſt eſſe cùm habitu Fidei qnamdiù eſt aliquid de obſcuritate, & non ita plenè depurata ſicut in ſtatu comprehenſorum.*

In ſumma. 4. p. tt. 15. cap. 17. §. 1. in fine.

Et quamuis Virgo perfectam habuit ſcientiam vt viatrix; non habuit illam vt comprehendens, eo modo quo habent Beati in patria Cœleſti, quæ ſola excludit in totùm Fidem, & licèt Divus Bernardus, & Athanaſius Beatam Virginem profunda, & occulta myſteria ſupra omnem humanam, & Angelicam mentem noviſſe teſtentur; hæc intelligi dedent iuxta ſtatum incolatus, non vt cog-

Hom. 4. ſuper miſſus eſt. ante medium.

Serm. de SS. Deipara poſt medium.

noſ-

noscunt qui sunt in Patria. Non vidit Verbum Incarnatum in se ipso, & facie ad faciem secundum Divinitatem, vt vident Angeli, & animæ Beatorum, sed sicut nos per actiones vitæ cognoscimus evidenter animam nostram. Et sic quamuis Beata Virgo in experimentali cognitione excesit Angelos, non in cognitione beatifica, quæ excludit Fidem.

Et quamvis Beata Virgo perfectissimam, & perpetuam Fidem habuit in hac vita, vt per illam dirigeret omnes actus suos ad supernaturalem finem, & multas supernaturales, & incomprehensibiles res quas esse veras credidit, licèt illas nulla humana ratio comprehendere, & consequi poterat. Nihilominus rerum divinarum quàm plures aliàs cognitiones habuit non exortas immediate à Fide, sed natas a Sapientiæ perfectissimo dono, & intellectus, & ex illustrationibus, & recordatio nibus luminosis ex lumine gloriæ quòd viderat, vt habebat Divus Paulus de his quæ illi in raptu mõstrata fuerè quando dicebat se vidisse: *Dei secreta quæ non licebat homini loqui*. 2. Corint. 12.

Agnitio etiàm Beatæ Virginis ex singulari, & supernaturali experientia mysteriorum divinorum quàm habebat præcipuè circa ea quæ in sua met persona executa fuerè, vt in Incarnatione Verb in quibus Beatam Virginem cognitionem experimentalem ita sublimem vt excederet, & superaret Fidem (secundum dicti Alberti Magni sensum) habebat, vires accipiebat ex suavissimo gustu futuræ fœlicitatis cuius in hac vita participatione n gloriossam Beata Virgo fuit adepta, & anticipa- *In Mariali de lau. Virgo super missus est. cap. 56. de Fide*

cipatam, vt gloriæ pignus venturæ iàm reservatæ & hæ felicissimæ cognitiones Fidei notitia sublimiores fuerè, & extra illam, & altiores raptu, extasi, & Adami agnitionibus ante suum lapsum, & & ruinam quando sine obscuritate mens sua clarissimis splendoribus, quibus edu catus erat, fruebatur.

Hæc altissima cognitio, & Fidei perfectio, licèt in Beata Virgine ita cum tempore creverat, vti ceteræ aliæ gratiæ, & virtutes in intensiva perfectione, & notitia experimentali, pro certo habetur illam habuisse explicitam à principio suæ Conceptionis in ventre Beatæ Annæ Matris suæ de mysterio Trinitatis Sanctissimæ nam, vt notat Franciscus Suarius, & simul docet Divus Thomas, cum cognitio huius mysterij ad perfectionem Fidei pertineat, quàm Angeli, & primus Parens Adamus in Creatione sua habuerunt, etiàm confiteri tenemur eam Beatam Virginem maiori cùm excellentia habuisse. In Conceptione sua etiàm explicitè novit Mysterium Incarnationis quo ad eius substantiam, scilicèt, quòd Verbum Divinum, secunda Sanctissimæ Trinitatis persona assumeret carnem humanam quia si Sanctus Ioannes (quando in ventre Beatæ Elisabeth Matris suæ fuit Sanctificatus) cognovit Christum Dominum vt Deum & hominem, & verum Messiam, vt cùm Theofilacto, & Cyrillo Hyerosolimitano docet Ioannes Chrisostomus, non est negandum Beatam Virginem in Sanctificatione sua novisse etiàm hoc mysterium, quamuis tunc non omnes illius circunstantias calleret, scilicèt, de qua muliere Deum

Tom. 2 q. 37. disp. 9 sect. 1. 2. 2. q. 5. art. 1. ad 2.

In Lucam. 1. Cathechesi. 3. Hom. 27. in Matthæum circa finem.

arnec

carnem assumeret, quo loco, & tempore; quas postea iàm per lectionem Sacrarum Scripturarum, iam per Angeli Annuntiationem scivit. Postremo Virgo Beata cæterarum rerum ad divinitatem, & humanitatem Christi Filij sui pertinentium, perfectissimam Fidem habuit, illaque (vt latè in cap. 13. exposuimus) excessit Abrahamum, Moysem, Gedeonem, Centurionem, & alios tàm in veteri quàm in novo testamento laudatos pro Fide sua quare *Mater credentium*, à Sanctis fuit appellata, nàm præter alios habitus infusos Mysteriorum Fidei, quibus in sua Sanctificatione fuit Beata Virgo illustrata; postea recepit aliàs novas illustrationes in sua sublimi contemplatione, & illuminatione mysticæ Theologiæ; & qui his fruitur quotidie in Fide ita consolidatur, & fortificatur, quòd quamuis totus mundus in Fide deficeret, ille nunquàm dubitaret.



CAPVT XX.

MARIA VIRGO RECTA est Inquisitorum norma, eos suosque Ministros diligit, & in officijs suis maxime iuuat.



Vllum Beata Virgo despicit, sed in maternæ suę dilectionis sinu etiam, maximos peccatores fovet, quia ibi iram Deus deposuit, inermis quasi invenitur, vt Richardus pulcris notavit verbis *Statim* (inquit) *Rex egredi-*

Lib.1.de lau.V. *ens de loco Sancto suo, & de excelso Cælorum habitaculo prosiliens, exultavit vt gigas ad currendam viam, & nimio pervolans desiderio prævenit nuntium suum ad Virginem quàm elegerat, quàm amaverat, cuius decorem concupierat; & quasi vnicornis mansuetissimus in sinu Virginis se recepit, depositaquè iracundiæ feritate, quàm propter peccatum primorum parentum ad genus humanum vsque tunc habuerat.* Omnes hæc Virgo Mater diligit multum eiusquè amoris vis, etiam cum dormiret, operabatur in beneficium, & vtilitatem.

tatem.

ratem nostram; cuius magnitudinem Divus Chrysostomus contemplans in Præsulum doctrinam hoc elicit documentum, & de se ipso ita proloquitur. *Ego dormio, & cor meum vigilat ad ipsum; & nobis contingit nam somni necessitas palpebras ipsus contrahit, Tyranus vero amoris vestri oculos nostræ mentis excitat, atque sæpenumero per somnum vobiscum loqui visum suum, etenim consueuit anima, quæ interdiu cogitat, eadem in somnijs per phantasiam cernere.* Hocquè perfectius Mariæ accidisse, quæ perfectius nos amat, quis erit qui dubitet? sic exponens locum illum canticorum. *Adiuro vos Filiæ Hyerusalem ne suscitetis, nequè vigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Gillibertus Abbas licèt cum Sponsa Sancta loquens in allegorico sensu, cum Beata Virgine hoc idèm sentiens, ita ait. *Adiuro vos ne excitetis dilectam donec ipsa velit: utile vobis est, ut dilecta evigilet, sed expectate donec ipsa velit; adhærens dilecto unus cum illo effecta est Spiritus, interim Bibula hauriat; quòd refundat uberius.* Et Divus Ambrosius in idèm incidit, cum dixit. *Cum quiesceret corpus eius vigilabat animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat.* Maiori cum ratione quos Beata Virgo, coadiutorum suorum munere honoratos habet, amore præcipuo prosequetur, & auxilium præstabit.

Hom. 10. de pænit.

Cantic. 3. vers. 5.

Lib. 2. de Virg.

Officium Inquisitorum eò magis intendit, ut eversi à Catholica Fide, ad eàm iterum revertantur, suspecti purgentur, & a rectæ Fidei via deviantes qualibèt minima suspitione dicti vel facti, in ve

ra, & Catholica doctrina erudiantur & dirigantur. Inquisitores dicuntur ab inquirendo, quia inquirere tenentur, an Catholici Catholicè vivant, Fidem servent integram, Religionem veram sequantur, Infideles, & Fidei hostes qui nondùm Ecclesiæ ianuam sunt ingressi, aliòs non seducant, & errorum suorum doctrina inficiant, & si aliqua delicta occulta lateant, sua cura, & labore patefiant, secreta inquirant, manifesta, puniant, difficilia orationi, & studio consulant, dubia in tutiorem partem iudicent; vndè inter alia, iure optimo, his epithetis laudari, & vocari promeruerè. Fidei delatores, veræ Relgionis cultores, doctrinæ sanæ satores, hæresum destructores, hæreticorum punitores, & errantium reductores.

Quantùm in excolendis his virtutibus ducèm habeant Beatam Virginem, quàm plurimis exemplis demonstrari esset facilimum, sed eorum copia inopès nos facit, attamen aliquibus contentis, ad alia dirigetur cursus.

Arnoldus ad Molanum. Belingem in Calend. B. Vir. 9. Augusti. Gonon. in Chronic. S. Deiparæ Anno, 1391.

Primo: Beata Virgo, vt vera Mater, & Magistra Fidei dux, & norma Inquisitorum deficientes, & dubitantes confirmat in Fide, ita cùm Raynero ex Dominicana familia fecisse traditur: qui cùm in Fide esset dubius, & an Iudæus, an Gentilis fieri deberet, ambigeret, nec fratrum suorum monitis cederet, & noctu fugā meditaretur, iamquè esset in limine portæ, obuiavit ei Beata Virgo Maria; fluctuasti (inquit) & veritatem, in Fide Filij mei te dubitas invenisse. Noveris certissime Gentiles varijs teneri erroribus, Iudæos Moysis gaudentes vmbris, vero Christi haud illustrari lumine, quibus

dictis.

dictis disparuit, & reliquit Raymerum in Fide constantem; obijt Brugis in Flandria cum Sanctitatis laude, & sic ita accidisse referunt Arnoldus, Belinglem, & Gononus.

Novitius quidàm Ordinis Minorum (vt idèm Gononus affirmat) tentatus in Fide, dum ficta omnium Christianorum dogmata Dæmon persuaderet, voluit recedere, & vacare Mundi oblectamentis. Non omnino extinctus Fidei igniculus, neque planè abolita erga Virginem Matrem devotio, quàm quotidianis obsequijs magister impresſit. Dum pro indè discederet, voluit Virgini valedicere, & suum statum exponere. At illa misericorditer nutantem confirmavit in Fide sui vnigeniti, quèm vlnis tenebat, eamquè confirmatam, voluit dato in manum sigillo filij, & matris effigiem habente. Mirabiliter ille stabilitus fortiter se gesit deinceps. Ita Gononus.

Gononus in cronic. Anno Christi, 1253.

Non solum in Fide confirmat Beata Virgo sed etiàm devios ad Chatholicam Fidem reducit, vt de illa Severiana Muliere, infecta hæresi narrat Sophronius in hunc mundum. Cosmiana vxor Germani Patritij. Voluit nocte quadam Sanctæ Dominicæ sola adorare Sanctum Domini nostri Iesu Christi vivificum què monumentum. Et cum appropinquaret Ianuis sacrarij, apparuit illi visibiliter Domina nostra Sancta Dei genitrix cùm alijs quoquè mulieribus dicens: Quomodo cùm nostra non sis, præsumis huc ingredi? & prohibebat eàm. Nequè enim inquiebàt, nostra est. Erat enim de hæresi Severi Acephali. Illa vero multum rogabat vt mereretur ingredi. Ad quàm Sancta Dei genitrix

Pratum Spirituale cap. 48. Baronius tom. 6. Anna ad Annum. 513.

trix

trix respondens ait: Crede mihi Mulier, huc non ingredieris nisi nobiscum communicaveris. Agnito autem, quòd cum esset hæretica, ingredi prohiberetur: quòdque nisi accederet ad Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam Christi Domini, & Dei nostri intrare non permitteretur: continuo accito Diacono oravit Sanctũ Calicem sibi dari, quo allato, sumpsit sacrum corpus, & pretiosum sanguinem Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi, atquè ita absquè vlla prohibitione digna est habita adorare Sanctum, & venerabile Sepulcrum Domini Nostri Iesu Christi.

Pyræus in triplici corona B. Mariæ tract. 4. cap. 4.

Apparvit etiàm Beata Virgo cuidam Lutherano hæretico, nomine Martino Guttrico Combergensi in Germania, prædixit què ei quòd in Vigilia Natalis Domini deberet eum in Cælum transferre. Quare præcepit, vt prius Ecclesiæ Catholicæ reconciliaretur, abiurando hæresim, atquè pararet se ad transitum, per receptionem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti. Convocato igitur Friderico Fournerio Societatis Iesu, qui tum Bambergæ in Cathredali Ecclesia concionabatur, mandatum Beatæ Virginis exequi voluit. Pater vero tantam admirans novitatem scire volvit, quid causa esset, quòd à Deipara tantum consecutus esset favorem. Didicit autem quod singulis diebus septies mane, & septies vespere Salutationem Angelicam consueverat recitare, in memoriam gaudiiʒ & honoris, quèm ipsa in Verbi Dei Incarnatione receperat.

Manum etiàm in Blasphemos Beata Virgo extendit, & severè animadvertit, in quorũ punitione,

quan-

quantùm sibi, Filioquè suo hoc crimen displiceat valde ostendens cum in multis pœnàm Talionis infligat, & maximè obseruet vt per quæ quis peccat, per hæc, & puniatur; hoc præcipue inter alios in tribus sequentibus casibus impletum reperietur.

Imperantibus Constantino, & Irene Imperatoribus Anno Domini 781. sedem vero Romanam tenente Adriano Papa, celebrata est secunda Synodus Nicæna. Cui cum interfuisset Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus, sequens miraculum Beatæ Virginis retulit dicens. Rusticus quidàm (prædictæ scilicèt Civitatis) cum ingressus fuisset in Templum Deiparæ vt oraret, vidensque imaginem eius depictam in pariete, arrepto stimulo quo boves vrgere solebat, oculum dextrum Imaginis pupugit, & delevit. Confestim vero vt egressus est cum volvisset stimulo agitare boves, ferrum subito confractum est cuis particula contra oculum dextrum rustici, illum pœnitus contrivit, & in terram proiecit.

Concilium 2. Nicænum.

Cum Anno Domini 1580. Oliverius Tempelius Hallus obsideret, erat inter milites, quidàm Ioannes Zuvichius: is iactare solebat, palam se suis manibus Hallensi mulierculæ (Dei parentem intelligebat) nasum abscissurum, sed hæc mox procurat glande plumbea excussa, scurræ illi nasum auferri. Pœnàm habuit, & irrisum inter ipsos commilitones perpetuum meruit, qui identidèm hominem ad nasum recipiendum Hallas mittebant.

Lipsius in Diva Virgine Hallensi cap. 7.

Quo tempore (scilicèt Anno Domini 1525.)

cum

cum Exphordiæ Lutherani Cathredalem Ecclesiam invasissent, & iàm ad tempus occupassent, concionator quidàm nomine Ioannes Cussameria Hæreticus, consistens in sugestu, ac digito mostrãs statuam Beatæ Virginis sub maximo organo consistentem, in has blasphemas prorrupit voces. Non quiescam, nec dormitum ibo, antequàm idolum illud (statuam Divæ Virginis intelligebat) ex hac æde basilica eiecero. Sed ecce subito ignis sacer digitum ipsius invasit, & eadèm nocte subita morte extrinctus est. Statua autem Sanctissimæ Virginis in eodem loco permansit.

Cartaxena in Mariali tom. 4. lib. vltimo de mirandis Deipara §. 198.

Magicam artem Beata Virgo destruit, exemplum sit Sanctæ Iustinæ Virginis, & *Martyris*, *quæ* Deiparæ Invocatione Dæmonis tentationem, & incontinentiæ periculum evitavit casus fuit. Quidàm Cyprianus à Fide Christi adhuc aliènus ac rebus Magicis omnino deditus, consuluit Dæmonem pro quodàm iuvene, qui Sanctæ Iustinæ pudicitiæ Virginali insidiabatur. Quæ præsentes Sathanæ thecnas, & ardentes libidinis faces non potuit non persentiscere, multum his ac graviter, exagitata. Pro inde vt par erat, ad pudicitiæ suæ custodem Deum sese convertit, simulque Mariam Castissimam, & clarissimam Virginum decus supplex obsecravit, vt sibi periclitanti auxilium ferret, corpus interim ieiunio, atquè humi cubitatione, quæ sunt continentiæ arma, castigans, vt in hoc certamine hostem impurum vinceret, suamquè pudiciciã salvam tueretur. Quid multis? non irrita fuit Mariæ invocatio, per quàm propitius aflictæ Virgini afluit Deus, & vt hostis devictus abscederet,

Gononus in Chronic. Sanctæ Mariæ Anno 302. Seculo.

deret,

deret; vt, & Cyprianus Christianæ Sapientiæ non modo discipulus, sed, & Martyr Beatissimus efficeretur. Passi sunt ambo Anno Domini. 302.

Non solum Hæreticis adhærere Virgo Beata, vt vera Inquisitrix, iuste prohibet, sed eorum libros, & scripta legere, & nobiscum habere. Satis hanc curam laudat Historia quàm Sophronius refert in hunc modum. Accessimus (inquit) ad Abbatem Cyriacum presbyterũ Lauræ calamonis iuxta Sanctum Iordanem; narravitquè nobis dicens: Die quadàm vidi per somnium mulierem honesta facie, purpura indutam, & cum ea viros duos, & ipsos venerando habitu, & aspectu præclaro. Arbitratus sum mulierem illam esse Dominam nostram Sanctam Dei genitricem, duosquè viros qui cum ea erant, Sanctum Ioannem Baptistam, & Sanctum Ioannem Theologum, & Evangelistam. Egressusquè de cella, rogabam illam vt ingrederetur, quæ non accessit. Permansi ergo diutius orans, & obsecrans, dicens; Ne quæso avertatur humilis factus confusus, & alia plurima huiusmodi. Illa igitur vt me vidit instare precibus; eandemquè postulationem iterare, severius mihi respondit dicens Habes intra cellam inimicum meum, & vis vt ingrediear? & his dictis abscessit. Evigilans autem affligi cœpi, & cogitabam nunquid in mentem peccatum contra illam admisissem: neque mecum erat aliquis alius in cella mea, nisi ego solus. Diutius igitur me ipsum discutiens, nihil inveni quod in eam peccassem. Cum vero vidissem me nimio mærore absorberi, surgens cepi librum vt legerem, quo per huiusmodi lectionem dolorem

Pratum Spirituale. cap. 46.

Nn meum

meum cogitationes què repellerem: librum autem illum mutuo acceperam à Beato Esychio Presbytero Hierosolimitanæ Ecclesiæ. Evoluensquè librum inveni duos ipsius Nestorij libros, in fine voluminis scriptos: moxquè agnovi hunc esse inimicum illum Sancti Domini nostri genitricis, semperquè Virginis Mariæ. Tunc surgens abij, librumquè illi, qui eum mihi accomodaverat, reddidi, dicens illi. Accipe librum tuum frater, neque enim ex eo tantum vtilitatis accepi, quantùm detrimenti. Cum ille vero detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli, qui zelo succensus, protinus duos illos Nestorij libros ex volumine præcidit, eosquè igni tradidit dicens: *Non manebit in cella mea Dominæ nostræ Sanctæ Dei genitricis semperquè Virginis Mariæ inimicus.*

Cura est etiam Beatæ Virginis vt Imagines Sacræ venerentur: punit eas percutientes, conculcantes, vel alio modo inhonorantes. Refert Dozovius in suis annalibus; quòd Buburgi in Flandria in maiori Ecclesia est imago quædam ex ligno fabrefacta, ad honorem, & venerationem Beata Mariæ Virginis in puerperio decumbentis; ipso aspectu venerabilis, & nescio quid gratiæ præse ferens. Ad eam ex Regis Galliarum Caroli militibus, vnus Britto ratione, spe prædæ accedit; ratus auream esse imaginem, quàm bracteis quibusdam incrustatam videbat: pugionem exemit, & illam magno impetu velut carnem, transverberavit. Mirabile visu. Illa accepto vulnere, roseo cruore perfusa est, totaquè commaduit, nec aliter sanguinis guttæ ex ligno dimanare visæ sunt, quàm ex corpore

Dozovius in annal. tom. 15.

pore humano plagis affecto. Dum hoc crudele facinus in templo peragitur, muliercula quædàm pia, & devota, Mariæ què cultui multum addicta, quæ exemplo Annæ Filiæ Phanuel, nocte sæpè, & die in templo versabatur, forte supervenit ad sacellum Beatæ Mariæ, vt pro more orationem faceret vbi Imaginem Virginis puerperæ sanguine perfusam conspiciens, obstupuit. Accessit propius, & peplum seu linteum capitis sui detrahens, eo vulnus extersit: nec illud ita extergere potuit, quin cruoris vestigia vsque in hodiernum diem vulneri adhærere videantur. Muliercula vero linteum lavatura domum rediit: atquè quantumcumquè lavit, cruorem è linteo eluere non potuit: citius ac facilius Ethiopèm quàm linteum dealbasset. Istud etiàm num in thesauro Ecclesiæ, inter Sacras reliquias conservatur, & honoratur. Impius vero parricida, vt primum statuæ vulnus pugione incussit, in humum furibundus deorsum cecidit, & crepuit hoc est factis suis dignam mercedem accepitt. Cadaver eius mox templo extractum est & in medio foro vt à canibus discerperetur, positum est. At illi præter naturæ suæ instinctum, intactum reliquerunt, tamquàm indignum, quòd ipsorum dentibus dilacerarettur. Prædictum cadaver manum qua tantum facinus perpetratum fuerat, semper porrectam habebat, & quomodocumque illa vesperi, vel fimo, vel humo tegeretur mane discooperta videbatur. Non poterat frangi, nec à canibus vorari & hoc in testimonium sceleris perpetrati. Vbi duo tresve dies omnium oculis expositum in foro iacuisset, tandèm equinæ caudæ alligatum, extra

vrbis mœnia extractum est, & in veterem cisternam, horto qui tunc ad sodalitatem Sancti Georgij pertinebat, adiacentem proiectum est. Ferunt illud aquis obrutum, manum qua scelus perpetraverat semper exervisse, & omnibus spectandam præbuisse, & tempore hyberno in glaciem minimè coaluisse: sed vaporis cuiusdam fumum continuo exalasse; donec cisterna ita sensim ruderibus oppleretur, vt nulla eius inpræsens cernantur vestigia.

Et si non minus ex Inquisitorum munere sit occultiora delicta non solum inquirere, sed & detegere; hoc quàm exacte vera Inquisitrix Virgo Maria adimpleverit ex sequenti casu satis apparebit. In Vrbe Toletana (inquit Vincentius in suo speculo Historiali) cum ab Archiepiscopo in festo assumptionis Beatæ Virginis Mariæ, Missarum solemnia agerentur, & à populo preces Domino devotè funderentur: inter ipsius Missæ secreta, quædam vox querula de Cœlo elapsa est in hunc modum. Heu, heu, quàm dira calamitas, quòd intra Filij mei Salvatoris Mundi, salutiferæ crucis signaculo signati gregis ovilia, manet, & regnat Iudaicæ gentis insania, quæ Filium meum vnicum lumen, & salutem Fidelium, iàm secundo conviciatur, & crucis supplicio mortificare conatur. Hæc cùm intentione sedula, populus percepisset, Archipræsulis, & plebis communi consilio decretum est, vt ad domos Iudæorum eiusdem Civitatis accederent, & pergerent, & quòd Virginali voce conquestum est, prudenter, & solicitè perquirerent. Omnibus itaquè domorum abdita perscrutantibus: inventa

Vincentius in speculo historiali lib. 7. cap. 8.

venta est quædam Imago cerea, quàm quasi viventem, ad Christianæ Fidei, & professionis dedecus, sputis, colaphis, ac morte Crucis perimere desiderabant; hac igitur inventa, Christiani dolum & perfidiam Iudæorum doluerunt; ipsosquè mox neci tradiderunt.

Et non solum per se sed Inquisitorum more instruens Beata Virgo per alios (scilicèt ministros vti vera Inquisitrix) Hæreticos punit, ita in praxi in damnatione illius infestissimi Apostatæ Iuliani executum reperimus. Mors istius pessimi Ecclesiæ hostis Anno Domini 363. accidit opè, & auxilio Beatissimæ Virginis, quàm (fere in vnum omnes Historiographi convenientes) in hunc enarrant modum. Iulianus Apostata cum ad præliandum properaret contra Persas, mandavit Sancto Basilio Cæsariensi Episcopo, vt sibi, suoque exercitui necessaria provideret. Quo respondente, quòd res Ecclesiæ, non essent suæ, sed Iesu Christi patrimonium, & Deo militantium, non prædonum (cùm tamen currum oneratum victualibus pro redimenda vexatione misisset eidèm) iratus tamen Imperator, & furens, iuravit, quòd in reditu suo Ecclesiam destrueret. Episcopus autèm confidens in Domino, & in Beatæ Virginis præsidio, in dicto ieiunio, Ecclesiam Beatæ Virgini dedicatam continuis precibus Deo commendabat. Raptus ergo in extasim, vidit Beatam Virginem de destructione Ecclesiæ suæ, Filio querulantem. Qui àb omnibus requirit, quis velit matris suæ iniuriam vindicare? Mox Sanctus Mercurius Martyr Christi qui in eadèm Ecclesia sepultus erat, prç omnibus

Abbas Vspergensis in Iuliano Apostata. Bozius de signis Ecclesiæ to. 2. Auctor Pomeri lib. 2. p. vltima cap. 1. S. Amphilochius in vita S. Basilii Nauclerus Chroniti generat. 23. Nicephorus. li. 10 cap. 35.

bus se obtulit ad vindicandum. Egressus igitur de tumba, & armis suis indutus ad exercitum pervenit, & omissis omnibus alijs sibi locum dantibus, Iulianum hasta perfodit. Qui sumpto proprio sanguine, proiecit in Cœlum dicens. Vicisti Nazarene, vicisti, & sic miserabiliter fugato exercitu expiravit. Hæc per ordinem Episcopo referente populo, pro signo veritatis, nec Sanctum Mercurium in sepulcro, nec eius arma, quæ pendere consueverant in Ecclesia, reperta sunt; sed post diem tertium in locis suis omnia inventa, sunt. Redeuntibus autem de prælio, veritatem de omnibus retulerunt, & omnes gratias egerunt, qui salvat sperantes in se.

Evagrius lib. 5. Histor. cap. 17. & 18. Nicephor liber 18. cap. 3. Baronius tom 7. annul. Anno. 580. Delrius, Disquisit Magic. q. 26 sect. 5.

Vice versa nunc (Virgo Beata non tàm suam quàm Filij sui causam respiciens) contra Anatholium Anthiochenum, qui Filium suum contumelijs onerabat, procedit, populum commovet, vt debitas luat pœnas, cuius historiam his fere verbis Evagrius narrat. Anatholius quidàm apud Anthiochiam, vir primum quidèm plebeius; sed qui postea ad Magistratus, & alia munera obeunda subdole irrepserat, simulachris immolare cùm nonnullis alijs forte deprehensus est. Is cum vocaretur in quæstionem homo impius præstigiator, & infinitis involutus sceleribus repertus est: quo factum est, vt Imperator ipse Tiberius in collegam Imperij à Iustino Iuniore ascitus, mandaret: vt Anatholius cùm ijs, qui ei in victimis immolandis socios se adiunxerāt, Constantinopolim quàm celerrimè deduceretur; quibus cognitis Anatholius ad Imaginem quandàm Deiparæ fune in carcerem subli-

mè

mè appensam accurrens manibus atergo complicatis se ei supplicare, precesque adhibere ostendit. Illa autem eum veluti sacrilegum detestata, & vt Deo inuisum coarguens penitus ab se avertit. Spectaculum sane horribile, & sempiternæ memoriæ prodendum, quòd quidèm apræsidiarijs militibus, & ab ijs, quibus illius custodia commissa fuit, visum est, & alijs divulgatum. Apparuit item Deipara reipsa nonnullis alijs Fidelibus eosquè contra scelestum illud incitavit, inquiens, Anathó lium Filium suum contumelijs afficere. Constantinopolim perductus in Amphiteatro primum bestijs expositus, ab ijsdem dilaniatur, deinde agitur in Crucem, postea vero lupi corpus eius in terram, disturbantes (quòd ante nunquam visum est) pastu crudeli membratim devorarunt. Quin etiàm vir illustris, qui Imperatoris palatio præfuit, & Anatholij causam acriter admodum tuebatur, vt nimirum non morte, sed exilio cùm socijs mulctaretur, dixit quoque se vidisse Deiparam, eamquè sic ipsi locutam: *Quousque defendis causam Anatholij, qui tum me, tum Filium meum tantis onerat contumelijs?* Ex horum enim scelere iusto Dei iudicio Antiochiam eo Anno terremotu ingenti quassatam, atquè vastatam idèm auctor existimat.

Iam satis experimur (per pauca, quæ retulimus) quantis viribus Beata Virgo Inquisitorum munus non solum amaverit sed plenè, & perfectè exercuerit, vt nos ad tanti officij complementum invitaret. Nunc videamus quantis favoribus illis, qui ad huius ministerij exercitium, suis imploratis auxilijs toti se pietati suæ commendarunt, sit

Ss v pro-

prosecuta, & omissis alijs viris, qui in hoc sibi iniuncto officio laudabiliter se gesserunt; valdeque in devotione Deiparæ Virginis profecere; de tribus tantùm memorabimus qui ob virtutum suarum specimen, & vitæ integritatem iàm agonibus superatis, & æterna devicta morte suprema fœlicitate congaudent, & bravium in temporaneo hoc certamine sunt adepti, & promeriti vt Sanctorum fastis adscriberentur.

64 Primatum habeat Dominicanæ familiæ primus parens, & institutor Sanctus Dominicus qui ad Albigensium turpissimos confutandos errores, præcipuè illum, quo puritatem Virgini denegabant, nervosè decertasse traditur; quantumquè illi devotio huius tantæ Virginis profuisset, vt valde hanc hæresim ex illis partibus Tolosanis fugasset, & extingueret; describunt Bozovius, Gononus, & alij in hunc modum. Inter turpissimos Albigensium errores, quos blasphemo ore impij evomebant, ille non postremus fuerat, quo puritatem Sacrosanctæ Virginis Mariæ, fædum in modum lacerabant: cùm per summam impudentiàm, voce impurissima, meretricem Dei matrem appellarent, eiusquè illibatam Virginitatem infami infamia violarent. Sanctus Dominicus cui nihil post Deum magis cordi erat, quàm Divæ Deiparentis Virginis amor & honor, in qua tamquàm in tutissima anchora spes suas quisque Christianus collocare debet vehementissimo animi dolore discruciabatur; cernens Hæreticorum procaciam, & summum oris propudium. Quapropter sacram Virginem assiduis, ac fere continentibus precibus interpellabat vt

Tom. 13. annal. ad Annū. 1213 Gononus Chronicam Sanctæ Deiparæ Anno Dñi. 1213.

vt honorem dignitatemquè suam adversus blasphemantium furores tueretur, & tantæ malorum inundationi omnia obruenti, præsenti remedio occurrerit. Haud dubium, quòd ab inspiratione meliore, nullam vir Apostolicus maiorem aliam cupiebat consolationem, nullaquè illi dulcior, ac frequentior occupatio erat, quàm corde cogitare, & ore proferre semper Angelicam Salutationem. Istud porrò, vt omnes quibus cùm agebat, facerent, eos enixissimè hortabatur. Ergo cùm Vrbe Albiorum impiam hæresim, doctrina, & prædicatione conaretur extinguere, neque sic se multum, & quèmadmodum optabat, proficere videret, eo quòd arte Diaboli miserorum hæresi deceptorum, corda validè obstruerentur; ad Sacram Virginem confugiebat, & provolutus in genua, pijs querimonijs, & ex alto pectore ductis suspirijs, totum cuble lacrymis inundabat. Quid esset, quòd sic dignitatem suam impurissimo Hæreticorum ore labefactari toleraret, & tot animas pretioso sanguine Filij sui comparatas in perditionem abire sineret; cùm ipsa relicta sit in Ecclesia, vnicum in rebus adversis præsidium, in què rebus planè deploratis perfugium. Audivit misericordiæ Regina preces servi Dominici, seque illi quodam diè ferventissimè oranti, in manifesta visione conspicuàm exhibuit, multoquè splendore, & gloria circumdata, sic illum allocuta est. Bono animo esto Dominice, nosti quanto impendio sanguinis, & vitæ, amãtissimo Dei Patris, & meo vnigenito salus hominum steterit. Non vult ipse perire, quos servavit, & redemit. Perseverantia opus est, sine quà

res præclarè non geruntur. Mentem itaquè bona spe corrobora: fructum vberem, laborum reportabis. Quod nunc in tot malis magnum erit remedium; Meditationem maiorum redemptionis humanæ mysteriorum, omni studio populis prædica: vt se gratos tantis beneficijs, ea saltem pia recordatione præstare velint, eos commonefacc. Rosarium institue: eamquè precandi formulam, quàm tibi trado, homines edoce, ac tum Filio meo, tum mihi longe esse gratissimam admone. Hoc erit vnicum, ad evertendas hæreses, vitia extinguenda virtutes promovendas, Misericordiam Divinam implorandam, suffragiaquè mea impetranda, magnum, & singulare in Ecclesia instrumentum. *Volo autem*, adeoquè iubeo, vt tu, tuiquè in Religione prædicatoria successores, huius Cœlestis, & à me excogitati ritus, sitis perpetuo præcones, & Annuntiatores, vndè ingentes vtilitates in animis Fidelium orientur, nequè ipsa opè, auxilioquè, sequentibus subinde signis, vnquàm defuero. Istud eximium, & singulare donum, à mè tibi, & surrecturo tuo mox ordini pacto firmo esto in æternum Ex eius maiestatis visione, primum perterritus Dominicus, deinde amplissimo Virginis munere egregiè confirmatus, dici non potest, quanto mentis gaudio fuerit perfusus. Inde actis, quantas poterat, Sacræ Deiparæ gratijs, summaquè veneratione exhibita, cæpit vir Sanctus incredibili ardore devotionem Sanctissimi Rosarij populis prædicare, tanto cum audientium fructu, vt quàm plurimi, relictis erroribus, ad Catholicam Fidem redierint, & innumerabiles qui peccatorum voraginibus immersi

mersi

mersi hærebant; mira Dei benignitate resipiscerent, & ad præclaram virtutum frugem emergerent.

Succedit in devotione, sicut in Religione, & officio inclitus Martyr, & Inquisitor Petrus Veronensis, cuius in Beatam Virginem, Deigenitricem Mariam recursum, quoties cum Hæreticis esset locuturus, vel ad illorum sophistica dubia responsurus, suus ex ordine frater, & Ecclesiæ Florentinæ dignissimus Præsul Sanctus Antoninus testatur quem sequens Gononus ita accidisse commemorat. Admirandum etiam (inquit) quòd eiusdem instituti Sancto Petro Veronensi Martyri accidit. Cùm enim obviasset cuidam ex prioribus Hæreticorum, multum in malitia, & cavillationibus acuto, Hæreticus ille ad certamen disputationis eum invitavit in loco patenti. At ille pugnam non renuit: ne adstantes, si reluctaretur, arbitrarentur eum convictum. Congressi igitur in prælio verborum, Hæreticus argumenta fecit subtilia, ad probandum perfidiam suam. Sanctus autem Petrus, cum esset improvisus, aliquam moram petiit sibi concedi ad respondendum. Qua data expectantibus cunctis, Sanctus vir Ecclesiam vicinam ingrediens, ante altare Beatæ Virginis orare cœpit, rogans Beatam Virginem, vt defensioni veræ Fidei provideret. Tunc audivit vocem ab Imagine prolatam. Petre ego pro te rogavi, vt non deficiat Fides tua. Antea enim quidam titubationis motus propter rationes Hæretici, in eum insurrexerat. Confortatus ergo rediit ad Hæreticum, postulavitque, vt rationes inductas, iterum replicaret. Ille

2. p. Histor. tt. 23. cap. 6 §. 3. Gonon. in chronic. S. Deiparæ. sæculo. 12. Anno Christ. 1227.

Dei virtute, ita mutus effectus est: vt ne vnum Verbum proferre valeret, sicquè cōfussus abscessit.

Succedit primo alius Petrus 1. Cæsaraugustanus Inquisitor, & Canonicus Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Cęsaraugustanæ Civitatis (quèm nuper Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa septimus Martyrem declaravit) cognomento Arbuesius, alias Magister Epila; hic cum, pro officij sui iniuncto munere, & Religionis Catholicæ zelo, & ardore adversus perfidiam Iudaicam procederet, magnam Iudæorum concitavit iram, qui hoc ægre ferentes, quadàm nocte ante matutinas horas, cùm (vt moris habebat) in dicta Cathredali Ecclesia genuflexus ante altare maius oraret, *eùm, transuersis* primo gutture, & brachio, alijsquè illatis ictibus, graviter vulnerarunt, itaut post duos dies fœliciter cursum consumaret; quo in tempore erga Deiparam Virginem Mariam eius devotio magis enituit, cū penè nullū aliud Verbū ab eo audiretur nisi *Ave Maria, Ave Maria* poterbatur quàm cordi inītum hoc dulce nomen habebat, & de eies pleuitudine, & dulcedine os protulisse quòd cor eructabat. Nec dissimilis fuit eius passio, & confessio illa Sancti Petri Veronensis, nàm si hic digito suo sanguine propio tincto in terra Fidei Confessionem scripsit dicens. *Credo in Deum Patrem Omnipotentem. &c.* Petrus Arbuesius in terram vulneratus cadens sequētia dixisse (Vincentius Blascus eius encomiastes tradit) *Laudetur Christus, quia ego pro Fide sua morior.* O, veri Inquisitores tàm pro tuenda Fide, integerrim Iudices, quàm pro Veneranda Maria Devotissimi Patres

in eius vita ca. 11.

merito

merito debebatur vestris timore nudis confessionibus, purpurea vestis effusi cruoris.

Quis, his ducibus, alijsquè in Inquisitoria dignitate constitutis, devotissimis viris, non ad Aras Deiparæ Virginis Mariæ continuo properat, & tantæ Matris pedibus pervolutus enixè deposcit vt se nostris precibus acclinis, & grata exhibeat, ac ab ea discedere non curet, nisi impetrata prius eius benedictione, ex cuius largitione omnia nostra recta iudicia, consilia, opera, gratiarum, & charisma-tum dona præcisè effluunt?



CAPVT XXI.

INQVISITORES HÆRETICÆ pravitatis vt iuste iudicent causasque Fidei (vt decet) terminent; Beatam Mariam, vt Magistram Fidei adire tenentur, suumquè auxilium continuo implorare.



On opus est multum elaborare nec tempus in huius capitis exornatione consumere; cùm si aliquèm adire censores Fidei, & Inquisitores teneantur vt in causis ad suum Tribunal pertinentibus ritè, & rectè possint iudicare, quèm, post Christum Dominum, nisi Beatam Virginem Matrem suam invocare securius, & certius poterunt? Quam, *Magistram nostræ Religionis*, vocat Sanctus Ignatius Martyr. *Apostolorum Magistram* Richardus: *Aulam Regis æterni*, Sanctus Ildephonsus: *Sigillum vtriusquè Testamenti* Sanctus Germanus: *Volumen scripturæ Divini Verbi* Leo Imperator. *Doctricem Do-*

Epistola 1. in Ioannem.

Lib. 2. p. 2.

Serm. de Assũp.

Serm. 2. de nat. Virg.

ctorum; Sanctus Antoninus: *ceptrum rectæ doctrinæ*, Cyrillus Alexandrinus. *Armarium Scripturarum*, Richardus à Sancto Laurentio; *Scientiam scientiarum Sanctarum*, Sanctus Bernardus, alijsquè epithetis maximam eius scientiam, & sapientiam collaudant. Et si Apostoli Sacri totius Religionis Christianæ petræ fundamentales, & in Spiritualibus documentis primi doctores, & Patres ab Spiritu Cœlesti in omnem veritatem edocti fuerè, vt in Orbem terrarum prædicantes, omnes ad agnitionem veri Dei suis laboribus, & doctrinis attraherent? Quid de Beata Virgine, quæ incomparabiliter eminentius, ac manifestius ab eodem Spiritu profundius illustrata, & illuminata fuit, expectare debuit? Et si Inquisitorum, in evertendis Hæreticis, & erroribus, sua principalior cura incumbat, & vacet; quèm nisi quàm Sancta Mater Ecclesia horum inimicorum principaliorem destructricem ore pleno vocat, & confitetur; conclamare tenentur? Hæc Virgo, & Mater, omnium doctorum mentes illuminat, gressus dirigit, calamos in scribendi subtiliter succidit, vt opere, & sermone Ecclesiæ inimicos vincant. Æmulentur ergo Apostolici Inquisitores hanc Dominam, vt qui sub illius, vmbra esse debent, se illius vmbram prodant imitatione.

Orat. de nat. V.
Sermone 2. de nat. Virg.
4 p. summæ. tt. 15.
Hom. 6. contra Nestor. lib. 9. de laud. Virg.
Serm super salve Regina.

Inter cæteras egregias animi dotes quibus Hæreticæ pravitatis Inquisitores perfulgere debent, vt rectè suum munus obeant, tres præcipuè maximè requiruntur, scilicèt, *prudentia, scientia, & secretum*; quantum in qualibet earum se exercere conveniat, satis ipsa materia loquitur officiumquè commendat.

Nul-

Nulla virtus sine prudentia suum proprium locum obtinet, exercerique valet vt præclarè notavit Divus Ambrosius. *Omnia operatur* (inquit) *prudentia, cum omnibus bonis habet consortium; nàm quomodo potest vtile consilium dare, nisi habeat iustitiam, induat constantiam, mortem non reformidet.* Hoc idèm agnovit, cecinitquè Iuuenalis Poeta cum dixit.

Lib. 2. de Benef. cap. 14.

Nullum numen abest si sit prudentia tecum. Et huius virtutis necessitatem considerans Sanctus Bernardus, aureis verbis, ita illam depingit. *Discretio* (ait) *omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem etiàm, & perpetuitatem: unde ordinatione tua perseverat dies, dièm virtutem appellans.*

Sermo. 49. in cantic.

Vnde quanto negotia, quibus continuo Fidei censores incumbunt, graviora sint, cum semper in illis, tum de Fidei, & Religionis Catholicæ observantia, tum de proximorum honore, fama, & opinione, agatur, peruigiles existere debent, stateram in manu sua portantes, ne ad vnam vel aliã partem declinando, impar iudicium faciant; nec in rebus ita arduis inconsulto, & facile procedant; nàm vt Spiritus Sanctus docet. *Innocens credit omni verbo astutus considerat gressus suos.* Et in humanis litteris non parui ponderis est consilium quod Imperatori Vespasiano dedit Mutianus, de quo meminit Cornelius Tacitus in suis annalibus. *Omnes* (inquit) *qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur Reipublicè vtile, ipsis gloriossum, aut promptũ effectu, aut certè non arduum sit.* Et Divus Gregorius pau-

Prou. 14. vers. 15.

annal. lib. 8.

cap. 28. vers. 12

cissi-

cissimis in verbis idèm edocuit, dicens: *Omne enim quòd agimus prævenire per studium consideratiomis debemus.*

Quanto necessaria est scientia in iudicando, tanto difficilior eius inventio; ita Iob clamans exposuit. *Sapientia vero vbi invenitur, & quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium eius nec inuenitur in terra suaviter viventium.* Bene Iob non laboranti huius Thesauri pretium denegat, nec suaviter viventi, id est, negligenti, hoc adipisci, concedit; maximè est insudandum, vt ne per ignorantiam à iustitiæ tramite recedamus, sed per sapientiam vnicuiquè iustitiam rectam, & ius suum exhibeamus, vt adimpleatur illud Ecclesiastici. *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.* Et si delectari in sedibus desideramus, & quòd stabiles sint sedes nostræ, & recta iudicia; quòd sapiens monet, opere compleamus. *Si delectamini sedibus, & sceptris, O Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Qui iudicant debent habere de suo, quòd sunt alijs daturi; quomodo dabunt, quòd non habent? *Sapientibus omnia facilia*, vt Græcus Zenodorus affirmat; insipientibus omnia difficilia, & ardua; non solum antequàm Iudicès constituamur scire debemus, peritiquè censeri, & esse in rebus quas tractaturi sumus; sed toties quoties negotia se offerunt, ea studio, & labore, causasquè, vt rectè iudicentur evoluere, studere, & ruminare; & vt rectè hoc munus perficiatur ad eàm recurrere, & properare debemus, *Ex qua legum conditores iusta dicernunt, & potentes decernunt iusti-*

ca. 28. vers. 12.

ca. 37. vers. 29.

Erasm. Chil. 2 cent. 9. adeg. 56.

Prouerb. 8. vers. 15. & 18.

iustitiam. Eruditis interest cogitationibus, & sapientibus consilia suggerit, præcipuè ijs, qui in evertendis Hæresibus operam navant, vt veritatem attingere valeant ideo Fidei Inquisitores, vt certius, & validius instruantur consulere debent Magistrã Fidei; nam quemadmodùm in his rebus, illa errare non potuit, nec sinit illos errare, qui sub sua tutela, & patrocinio viuunt, tantoquè negotio incumbunt; nec Ecclesia, cuius illi membra existunt, errare valuit, quòd perdocte notavit Canisius, ibi *Quemadmodum in rebus creditu necessarijs non erravit Maria, & quoniam eadèm in gratia Spiritus fuit confirmata, nec potuit quidèm errare: sic nec Deus Ecclesiam, cuius ipsa typum gerebat, in necessarijs errare sinit, præsertim cum divinus ille Spiritus, vt antea Mariam, sic nunc, etiàm Ecclesiam doceat omnem veritatem,* Vnde non immerito Apostoli Sacri Doctores, & Ecclesiæ Patres hanc Mariæ scholam libentissimè cursitarunt, vt in sacrarum litterarum scientia maximè profuissent; quàm ingressi Bernardus, Bernardinus, Bonaventura, Antonius Paduensis, Ildefonsus, Germanus, Anselmus, Damascenus, Rupertus, Albertus Magnus, Scotus, Canisius, & alij huius Beatissimæ Virginis, & Matris cordiales serui, valde vtiles, & proficuos fructus in studijs, & lucubrationibus suis decerpsisse, eorum opera, & scripta satis testantur.

Lib. 4. de Deipara cap. 19.

Et si Virgo Beata, est illa sola quæ vniversas hæreses contrivit in Mundo (vt alibi ostendimus, & Ecclesia canit) Inquisitores hæreticæ pravitatis, qui pro officio habent hoc idèm complere, quo-

quomodo sine ea hoc consequi poterunt? necessario ergo tenentur sine intermissione ad hanc hæresum destructricem recurrere, precibusquè exorare vt se adiutricem exhibeat, Matremquè demonstret, vt auxilio suo freti, hostes, & inimicos Fidei viriliter devincant, & Fideles in veritatibus Catholicis confirmatos sustineant, & servent.

Non minus cogit huius Beatæ Virginis scientia vt pro ea assequēda eius auxilium imploretur, sed etiàm potestas agnoscatur; & quasi imperium apud Filium suum, vt securius accedamus, & in petitionibus tam iustis nihil de impetratione dubitemus, mirificè de hac Virginis potentia loquitur Georgius Nicomediensis. Habes (inquit) vires insuperabiles, nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati seruiunt. Hoc idèm de oratione Deiparæ sentit Divus Antoninus eiusquè vires, potestatem, & imperium his includit verbis. *Oratio Deiparæ erat nobilissimus modus orandi; tùm quia impossibile erat, eam non exaudiri, iuxta illud quòd in figura eius dixit Salomon matri suæ Bersabæ, cùm aliquid petere vellet: Pete, (inquit) Mater mea, nequè enim fas est, vt avertam faciem tuam.* Accedant cùm fiducia, cùm non solum sibi, sed etiam Religionis causis, scientiæ petitio conueniat, expectent a Domino consequi quòd suis precibus Virgo Beata deposcit, nihil hæsitantes, sed semper deposcentes.

Orat. de oblat. D ip.

4 p. summa tit. 15. cap. 17. §. 4

Ad secreti observationem, exemplar non minimum habent Inquisitores in Beata Virgine nàm omnia verba quæ audiebat, & mysteria, quæ intel-

ligebat, conseruabat, & conferebat in corde suo, & maximè in loquendo eius prudentia summa eluxit, quando concredita sibi mysteria non facile propalavit, imò Apostoli vix aliqua ab ea potuerint desumere; quæ idcirco Virgo Beata retexit, quia putabat hoc ad omnium vtilitatem cesurum; de hac Beatæ Virginis secretorum custodia intelligit Ricardus à Sancto Laurentio illud canticorum. *Tulerunt pallium meùm custodes murorum* quòd ita exponit in hanc mentem. *Dicit ipsa cantic. 5.*

Cantic. 5. vers. 17. *Tulerunt mihi pallium meum, id est, à me rapuerunt reserationem secretorũ Filij mei, quæ prius*

Lib. 4. de laud. Virg. *tegebam quasi sub nubilo, & velamine silentij, & erant occultata apud me, custodes murorum, id est Apostoli.*

Tenacissimam secretorum obseruationem Inquisitoribus etiàm permaximè necessariam probat illa fibula, quæ olim Regum cognatis dari consueverat vt habetur. 1. Machabæorum; ibi, *Vt*

1. Machabæor. ca. 10. vers. 88. *audivit Alexander Rex sermones istos addidit adhuc glorificare Ionatham, & missit ei fibulam auream, sicut, consuetudo est dare cognatis.* Regũ ex hoc loco Albertus Magnus colligit, fœliciter nõ posse gubernare, qui commissa nescit supprimere; hocquè maximum esse vitium, vt omnia prodat, & silenda vulget; & sic super Mathæum ait: *fibula ad*

In. ca. 6. Math. *hoc Regibus dabatur, quod scirent scrinium secreti cordis clausum tenere. fibula hæc significat absconsionem consilij quæ præcipuè necessaria est Filijs Regum.*

Quæritur nunc, minus forsan erit secretum in rebus ad Fidem pertinentibus, quàm ad Regna

seruanda, & gubernanda? nullo modo?! Religio prius seruanda quàm Regna; Regnum sine Religione non subsistit, Religio sine Regno non parum prodest; summaquè censetur ratio quæ pro religione facit, vt notavit Iurisconsultus Papinianus; & vt inquit Tullius. *Pietate adversus Deos sublata Fides etiàm, & Societas humani generis, & vna excellentissima virtus iustitia tollatur necesse est.* Quanta vero damna ex secreti violatione in rebus ita gravibus, quæ semper in Sancti officij Inquisitionis tribunalibus aguntur, Religioni, Fidei, communi bono, & Reipublicæ quieti, & conseruationi non accrescant? imò in totum perdant, & destruant? ideò Episcopis indicitur huiusmodi secreti celatio sub præcepto, & virtute Sanctæ obedientiæ à Pontifice Bonifacio octavo de quibus fit mentio in sexto libro Decretalium in cap. statuta de Hæreticis, ibi: *Sed Episcopi ex iniuncto, ex nunc à nobis sub virtute Sanctæ obedientiæ districto præcepto ad secretum huiusmodi teneantur.* & si revelarent cum essent transgressores legis iustæ, & legitimæ, si non adesset legitima, & iusta causa, in pænam inciderent, læthaliterquè peccarent iuxta Theologorum, & Canonistarum communem sententiam; ad id etiàm tenentur Inquisitores, huic, & alijs municipalibus legibus, & pœnis obstricti; vnde colligere, & observare debemus, quantùm in silentij, & secreti obseruatione; & custodia insistere, & permanere debeant Inquisitores, Fideiquè zelatores, ducemquè in ea Beatam Virginem semper habere, eamquè in totum sequi.

L. sunt personæ 43. ff. de Relig. & sumptibus funerum.

Cicero lib. 1. de natura Deorum.

Cap. statuta §. & vt eorumdē de Hæreticis. lib. 6.

Quàm plures debemus rependere gratias huic nostræ Matri Doctorum Doctrici, Magistrorum Magistræ, & omnium Hæresum destructrici, quæ in hac nostra Hispania ita benignitatis, & largitatis suæ beneficia in Fidei censores, & Hæreticæ pravitatis Inquisitores copiose efusa est, vt eorum quàm plures experiamur effectus, nàm eradicatis segetis pravæ seminibus in Dei laudem, Religionis Catholicæ augmentum, & hæresum, Hæreticorumquè damnationem passim in quolibet Sanctæ Inquisitionis Tribunali multos Fidei actus magno cum gaudio totius plebis Christianæ publicè peractos, & celebratos videmus, nec labori cedit voluntas, nec officium solatio; *Quomodo* cederet? Quando Magistra Fidei, Fidei supremi senatus, præsulem, & antistitem in his Hispaniæ, & Indiarum Regis seruum, capellanum, & non minimè devotum ad præsens habet, qui tantæ Magistræ vestigia sequens non solum in extirpandis hæresibus, & erroribus in defessè insudat, sed Iudices, & Ministros creat, qui tàm Scientia, Prudentia, Modestia, quàm alijs virtutibus insigniti, aprimè ministerium suum, cum omni honore, & reverentia exercent, & implent.

Optaremus ergo, vt cum D. Inquisitores causis Fidei finem imponunt; executioniquè tradere volunt, duo præcipuè menti tenerent. *Primum*: Quòd si in eis vertitur, & probatur aliqua in Beatam Virginem Blasphemia vel hæresis in dicto vel facto consistens, non leviter, & blandule in eis procederent, sed severè, (& vt convenit) reos punirent, nàm Christus Dominus dilectus Filius suus

us ægerimè fert vt aliquid indecorum, in honestum, vel disonum amantissimæ suæ Matris, Virginitati, puritati, donis, gratijs, vel virtutibus vel dicatur, vel agatur; merito ergo animadversio hęc in impios homines, ingratos valde, & inhumanos exerceri debet, cùm tantis obstricti beneficijs, & in oblivionem datis, contra aduocatam suam, Dei genitricèm, & omnium Matrem tàm diabolicè insurgant, & peruersè meditentur, & agant. *Secundum*: quòd ante executionem sententiæ Beatam Virginem maximè implorarent, vt præsto in adiutorium esset, ne Diabolus insidijs suis Fidei inimicis favens, ex suis factis victoriam reportare valeat, & illusorium facere iudicium.

Quo ad primum, quantum convitia illata Matri suæ Christus sentiat, nec valeat sustinere; audiamus cuiusdam execrabilis aleatoris in Beatam Virginem blasphemantis diram mortem, aliosquè successus, quos in vita Beati Gerardi Martyris Ordinis Cisterciensis refert Chrysostomus Henriquez. *Erat tunc* (ait Chrysostomus) *in Civitate Cardotij homo quidàm Carnalis, qui dum aliquando aleis luderet, & tesseris sibi male cadentibus perderet, quidquid dementi in mentem veniebat, ore furibundo iurabat. Cumque iàm pene omnia amisisset, aliùsquidam nefandus aleator accesit, & tumida illum indignatione amovens ait. Cede iners, cede, ego ludam pro te, quia tu nescis ludere, nec iurare; Cumquè, & ipse, vt erat Filius perditionis similiter perderet; diabolico furore inflammatus, cæpit omnia Domini nostri Iesu Christi tàm interiora quàm exteriora quasi per ordinem membra iura-*

In fasciculo ff. Ordin. Cister. in vita B. Gerandi Martyris cap. 3

iurare. Nihil omnino iniuratum relinquere volens Proferebat igitur iurationes quasdam seu blasphemias atquè inauditas, quemadmodum cordis, & oris eius instructor, imò vere destructor Diabolus excogitabat. Ast vbi Dei, & hominis Domini nostri, omnia membra, furioso, & blasphemo ore, consumpsit, adiecit ad cumulum damnationis suæ, Sanctissima membra iurare terribili nimis temeritate, Sanctissimæ Matris eius, satagens vniuersa sigillatim venenato dente discerpere, ita vt sanæ mentis omnes qui aderant, à facie blasphemantis, & alloquentis aures obstruerent, & pectora sua tunderent. Nec dùm iuramenta omnia sacrilegus iurator expleverat, & ecce repente vltio divina atque digna, inuisibili, & quasi fulmineo ictu feriens, & perforans sceleratum, Maiestatis iratæ terribile dedit experimentum. Percussus itaquè Blasphemus corruit, & putans quòd aliquis eum materiali gladio confodisset, horrendo gemitu exclamans ait: Heu heu miser, quis es qui me interfecisti? cumque diutius in terram palpitans, & mortiferos gemitus efflans volutaretur, tandèm vrgente maligno, cui traditus fuerat abominabilem animam tartareis ignibus concremandam expuit. Nudato itaquè corpre ad lavandum, est in dorso eius plaga recens terribili apertura divisa, ac si aliqua securis ibidem immersa fuisset, ita vt penetralia cordis, hepatis, & pulmonis funditus appaerent: Quo viso contriti sunt iuratores, videntes quòd Zelus Domini exercituum, tàm gravi animaduersione mulctavit iuratorem impium, atquè blasphemum. Cumquè rumor volocius

præ-

prævolans tremefactos vndiquè vicinos traheret ad videndum; quidam de intimis eius mœstus accelerabat ad illum. Huic ergo itineranti apparuit quidàm mortuus homo, quèm in iuventute cognoverat, & ait. Agnoscis me? Ego sum ille defunctus olim tibi non ignotus novi ergo quo tendas, sed in cassum te fatigas, iàm enim morte absumptus est, quèm viventem inuenire putas. Porrò vnum est quòd latère nolo, quòd Dominus Iesus Christus, à seruis suis contumeliosis multas contumelias, & iniurias patitur, & patienter expectat, tamquàm patiens redditor. Veruntamen immaculatæ Genitricis suæ læsiones, atquè conuitia non facile sustinet, sed aut præsenti supplicio citius punit, aut si certè reseruat in posterum cæteris malis acerbius punit.

Christus Matris suæ conuitia illata non sustinet.

Quo ad secundum; memorabile est illud factum quòd Gerardus Lorichius in Ciuitate Ferrariensi, accidisse tradit. Fuit in illa Ciuitate quidam Hæresiarcha nomine Germanus, & alio nomine Guido de Lacha, cuius corpus, post eius mortem, ab omnibus tamquàm reliquia alicuius Sancti venerabatur, maximoquè in honore habebatur, postea detectis illius non minimis erroribus, à Iudicibus veritatis, & Fidei, Hæreticus fuit declaratus, corpusque vt igni traderetur, iussum, sed cum magna pars plebis in illa existimatione fuisset, hoc ægre ferens, sententiæ Inquisitorum non acquiescebant; sed cum accenso rogo, & corpus in ignem iniectum, coram omni Ciuitate non combureretur; sed potius levatum in altum nullum ignis sustineret damnum imò ex se quosdàm emitteret lucis radios & extincto rogo, leviter paulatim corpus super cineres caderet,

In compendio glossæ, ordinariæ in liber. 3. Reg. cap. 13.

deret, omnes stupefacti mirabantur, credentes iniustefuisse condemnatum, veramquè fuisse eius doctrinam, & iustè pro Sancto habitum; sed Censores Fidei cùm iuxta allegata, & probata rectè sententiam portulisse cernerent, hoc Diabolicæ artis factum existimantes ad Virginem Matrem Deigenitricem Mariam, vt Magistram Fidei, & omnis rectæ doctrinæ, & destructricem omnium hæresum velociter convolarunt, & humiliter deprecabãtur vt veritaté omnibus demonstraret, & Missam de Beata Virgine psallere fecerunt, sed non dum (mirabile dictu) prima verba introitus Missæ, *Salve Sancta Parens*: proferri incipiuntur, quando per aera hæ voces audiri cæperunt. *O Guido de Lacha, nos te defendimus quantum potuimus, sed incasum*; Dæmonum voces fuerunt qui (vsque Beata Virgo ad preces servorum suorum inclinata, artes malignorum Spirituum destruxit) corpus illius Hæresiarchæ, vt igne non combureretur, servarunt. Sed adveniente veritatis Magistra errores istius miseri fuerunt detecti, & non dùm secundo corpus eius proiectum in Regum, quando flammæ totum devorarunt, & in cineres reduxerunt, quo facto Fideles in Fide confirmati, Virginem Beatam malleum Hæreticorum, & Fidei nostræ firmissimam columnam, veritatis scholam & omnis Sapientiæ, & doctrinæ, certissimum esse documentum manifeste norunt. Inquisitoribusquè firma fuit relicta spes esequendi preces, quoties eas ad Fidei Magistram dirigãt & ad Religionis Christianæ augmentum expectent.

CA-

CAPVT XXII.

EPITHETA, QVIBVS SANcti Patres ad Fidem Virginis explicandam vsi sunt, sequentibus §§. patefiunt.

§. I.

FILIA FIDEI.

QVam insita, & innata Beatæ Virgini Fidei virtus ab ortu suo fuerit, vt cum proprietate Filiam Fidei eam nominare possimus, ex parentum suorum factis deducemus, & brevi narratione exponemus.

Ioachim, & Anna, coniuges Sancti, Beatæ Virginis Parentes incliti cum iam in senili ætate essent constituti, & cupita prole caruissent, v irorquè ille in ambobus exaruisset, terraquè quæ germinare poterat, sicca, & arida redderetur, precibus suis ad naturæ conditorem confugiunt, credentes, & fidentes quòd licèt natura eis adimeret fiduciam non ademerat Deo potestatem, vt proles donaretur, Fidesquè eorum ita inualuit vt à Domino reciperetur, Annaquè conciperet Mariam, què pareret, ita vt propissimè dici posset, quòd sola Fides ac cõfidẽtia Mariã genuit, & non aberrare, qui Dei Matrem, Fidei Filiam appellet,

let illiquè non minimè convenire quòd de Abraham dixit Zeno. *Post hæc promittitur ei de legitimo matrimonio Filius de Fide non de ætate, concipit Sara, portat sine dolore vteri Sarcinam quæ iam ambulare non poterat, tunc discit mater esse cùm desinit.* Et si Filius de Fide Isaac, non de tempore dici potest; etiam Filia de Fide Maria, non de ætate dici debet. Voluit Dominus hos sanctos coniuges consenescere, vt sublato pro senectutis tempore naturæ humore, sola Fides ac confidentia Mariam gigneret; non de tempore Filia esset quæ habitura erat Filium cui omnia, tempora serviunt? Et si Zeno de Abraham, & Sara dixit. Quia vtriusque ætas ademerat spem sobolis, pignus succidaneum meruerunt; sic meruit Fides, quòd ademerat tempus, extorsit credulitas, quòd natura denegavit. Idem id quoquè factum in nostræ Virginis Parentibus demonstratur. Negabat Ioachim, negabat Annæ natura ipsa prolem, firma Fide, ac minimè dubia credulitate voti compotes fuerunt. Et si Fide insignes fuerunt Ioachim, & Anna, quid mirum vt Mundo illā pepererint, quæ Fidei dux, & Magistra esset futura? nonne innata est cum Maria, Fides magna, quàm Parentes ante, & in generatione sua aprimè excolverunt? Quomodo ergo quòd à natura insitum est tàm facile (vt Hæretici Somniant) divelli, & saparari posset? Sed quòd fortius est, & admirabilius, & mente semper tenendum; si Dominus, mediante parentum Fide, Mariam contra naturæ tempus & spem, Mundo edidit, quomodo in Fide defecisse vel vacillasse vnquàm

Serm. 3. de Abraham,

Serm. 1, de Abraham,

quàm permitteret: debemus hoc Fidei Ioachim, & Annæ, quòd Mariam habemus Fidei Ducem, & sic, qui Christum per Fidem quærit, vt non aberret, quærere illum debet cum Maria, quæ sua Fide tamquàm splendida face nos tutò ad illum ducit. Ex quo Alanus à Rupe exponens illud canticorum, *Quo declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum*, ita ait: *Bene autem dicitur, quæremus* eum tecum, quia sine gloriosæ Virginis Fide, qui Christum quærit errare potest, proficere non potest. Vnde colligere debemus, quantum Sanctorum coniugum Fides profuit, vt ab illorum Fide, Mariam, Fidei suæ Filiam habeamus, & ducem.

Cantic. 5. vers. 17.

Alanus in cãt.

§ II.

MAGISTRA FIDEI.

REctè Magistra Fidei Virgo Beata nuncupatur quia magistraliter Fideles omnes res Fidei edocuit, & Filius suus post suam ascensionem eàm in terris dimisit, vt Fideles instrueret in rebus Fidei, maximè de his de quibus nulli mortalium nisi ipsi constare poterat; nàm quamvis Spiritu Sancto dictante Evangelistæ Evangelia sua scripserunt, verosimile est, & credi potest quòd de talibus cum Beata Virgine conferebant, & quòd alij Fideles legentes scripta Evangelistarum, a Beata Virgine de intelligentia eorum

quærerent, nàm pro certo habetur Spiritum Sanctum multa Beatæ Virgini revelanda servasse, & quis melius scire posset de Sacris Mysterijs, & de Magis venientibus cum stella, de fuga in Aegyptum, de Salutatione Angelica, de Nativitate Christi, de eius Circuncisione de oblatione eius in templo, & de reliquis ad Filium suum pertinentibus quàm Beata Virgo quæ singula experta est, & opera Christi Domini per triginta tres años proprijs oculis vidit, & in corde suo servabat; ob idquè propius locutum fuisse Evangelistam Lucam Sancti Patres tenent, quia familiarior & Capellanus Virginis fuit, hocquè de Ioanne Evangelista, iudicare convenit, vt *Divus Hyeronymus* scribens ad Eustochium notavit. *non quia* (inquit) *eximius ille Sanctorum Chorus Apostolorum eam deseruerit, inter quos post Resurrectionem Domini intrans, & exiens familiariùs contulit de Christi Incarnatione. Tanto siquidem verius quanto ab initio per Spiritum Sanctum plenius cuncta dedicerat, & prospexerat plenius universa, licèt, & Apostoli per eundèm Spiritum Sanctum omnia cognoverint, & in omnem edocti fuerint veritatem.* Et Magistra Fidei debet apellari, cum Magisterium suum præcipuè in illuminandis mentibus in rebus Fidei ita propiè inueniatur exactũ, & excultum.

Epist. ad Eusto.

*

* *

§. III.

§. III.

MATER FIDEI, ET OMnium credentium.

MAter Fidei, & omnium credentium solet passim Virgo nominari, propiè ergo mater Fidei dicitur, quæ quasi eam genuisse videatur, credidit sublimius, & perfectius ac cæteri mortales, primatus ergo omnium credentium debetur, quæ noscitur difficiliora, & naturæ contraria, & opposita credidisse, firmiterquè, & inconcusse omnibus consensum præbens. Matrem Fidei nostræ Virginem Beatam appellat Rupertus Abbas, ibi: *Ecclesia de libano venire* (inquit) *id est, candidatione Baptismi gentes ad Christum adducere: Maria Matre Fidei nostræ adiuvante, id est, omnia verba hæc quæ hactenus conservabat in corde suo iam aperiente.* lib. 7. de divinis officijs cap. 25. in fine.

Eva prima parens nostra, ideò nuncupata est, quia erat Mater omnium viventium, & ab Adam hoc ei nomen fuit impositum vt in libro Genesis habetur, ibi: *Et vocavit Adam nomen vxoris suæ Hevā: eo quòd Mater esset cunctorum viventium.* Genes. 3. vers. 20. Sed Virgo Maria est illa a qua omnes Fideles, & credentes edocti, & instructi sunt in rebus Fidei (vt alibi fusius egimus) cur ergo non ei merito, & ampliori titulo Mater credentium dici debet? lib. 2. de laud. Virg. 1. p.

Confirmat Richardus dicens: *Sicut enim Eva*

dicta

dicta est Mater omnium viventium vita naturæ genesis 3. sic Maria Mater omnium viventium vita gratiæ, ipsa enim propter hoc figurata est per Saram, quæ licèt non nisi vnicum Filium carnaliter peperit Abrahæ, tamen mater dicta est totius populi Israelitici; vnde Isaiæ 55. dicitur Iudæis attendite ad Abraham Patrem vestrum & ad Saram quæ peperit vos.

10. Repeto Rupertum clarius hoc idem iudicantem *Si Abraham* (inquit) *Pater gentium, & Sara Mater gentium rectè dicitur, & est videlicet propter Fidem; quanto magis tu, ò fidelissima Fidelium, Mater es omnium nostrum?* Et rectè dixit quanto magis tu, quia illa per Fidem mater est gentium Fidelium, sed tu, ò Beata Mater es mater charitatis, Fidei, *Mater pulcræ dilectionis, timoris, & agnitionis, & Sanctæ Spei nostræ.*

Lib. 7. in cant. in princ.

Eccles. 24.

11. Maria etiam respectu aliorum aliter se gessit quàm Eva, hæc enim, & si mater vocata sit viventium, tamen occidit omnes per originale peccatum, cuius occasio fuit. Maria vero vitam peperit omnibus salutarem; ideoquè re ipsa est Mater viventium, & pro excellentia, & primatu Fidei suæ, Mater Fidei, & omnium credentium meritò appellata.

Christus Dominus in Cruce Matrem suam, matrem Ioannis dicit, cum ait: *Mulier ecce Filius tuus*, & Ioanni *Ecce Mater tua.* Suscepit Virgo Mater Vicarium, & quia sic visum fuerat Filio suo amplectitur successorem, cogitans ita Ioannis se matrem constitui, vt in Ioanne fuerit totius Mundi, sic colligit Sanctus Bernardinus Senensis.

Ioan. 19. vers. 2

tis *Intelligimus* (inquit) *in Ioanne omnes animas electorum, quorum per dilectionem Beata Virgo facta est Mater.* Tom. 1. Serm. 55. cap. 3.

Albertus Magnus plurimis in locis Fidei Matrem Sanctam Virginem Mariam, & matrem omnium per Fidem appellat; & iuxta illum locum Marci. 2. *Et qui praeibant, & qui sequebantur clamabant Ossanna Filio David*; vbi Augustinus dicit, quòd omnes sive praecederent Incarnationem sive sequerentur, salvabantur per Fidem mediatoris Dei, & hominum. Sic argumentatur Albertus Magnus, sed ad illam Fidem necessario exigitur, vel implicite vel explicite credere Deum Incarnatum de Virgine; ergo per hoc est generatio vniversalis ergo Fides Incarnati de Virgine est: per quòd est regeneratio in esse gratiae omnium hominum; deducitur consequentia clara; ergo est per Fidem mater omnium. In Mariali. 184.

Hinc alibi dictus Albertus Magnus privilegia Beatae Virginis recensens, & recopilans septimũ numero, hoc exprimit. *Septimum fuit Mater, omnium, quare non similiter fuit vnum privilegium quòd esset Soror, & Filia omnium, vel saltem quòd esset Domina omnium.* In Mariali. ca. 195.

Virgo Beata fuit illuminata (vt in secundo capite huius tractatus probavimus) omnes ab hoc fulgenti sydere lumen susceperunt; nàm per tubam Ioannis Baptistae dicentem. *Ecce Agnus Dei.* Andreas Apostolus credidit, per Andream Petrus, per Petrum Roma per Romam vniversus Mundus, ergo à primo ad vltimum, per Ioannem credidit vniversus Mundus; sed à quo Ioannes Ioan. 1.




lumen accepit, nisi à Virgine in ventre portante Solem, dum Elisabeth, eius matrem Virgo gloriosa visitavit? Vnde, & in ventre exultavit vt 1. Lucæ legitur, & ita efficax fuit hæc illustratio, & gloriosa, vt non dum natus, & iam sanctificatus, & plusquàm Propheta factus, ergo merito mater credentium dici debet?

Luca 1.

Et si Divo Paulo, eos quos labore, & doctrina pareret, Filios nominare licuit, quia per Evangelium illos genuisse, affirmabat. *Per Evangelium, vos genui*, & alibi. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Nonne plenius, & iustius hoc mater Dei dicere poterat, quæ non solum sua prædicatione, & inimitabilis vitæ exemplo omnes edoceat, sed conceptu, & editione Verbi Dei? ita sentit Guarricus Abbas, cum contemplans ait. Si seruus Christi Filios suos iterum parturit cura, atquè desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus, quanto magis ipsa mater Christi? & Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis, quo generati sunt prædicando: Maria autem, longè Divinius, atquè Sanctius verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis ministerium, sed plus miror, ac veneror in Maria generationis Mysterium.

1. Corinth. 4. vers. 15. Galat. 4. vers. 1.

Serm. 1. de Assump.


§. IIII.

§. IIII.

VEXILLVM FIDEI.

TAmquam primam in credendo, & perfectiorem in intelligendo Virginem Mariam vexillum Fidei Sanctus Ambrosius appellat; vexillum erigere aut proponere, ineundæ pugnæ signum erat, vt in humanis litteris plerique scriptores meminère, *Cæsari* (inquit Cæsar) *omnia vno tempore erant agenda vexillum proponendum: quòd erat insigne cum ad arma concurri oporteret*. Et Ammianus. *Vexillum operiens extollendum, quòd erat opportunæ subeundæ inditium pugnæ*, & in diuinis litteris apud Ieremiam. *In Thecua clangite buccina, & super Bethacarem levate Vexillum*. Beata Virgo erigit vexillum Fidei, quia constantior, & firmior fuit in ea, ac cæteræ creaturæ. Vexillum, est signum victoriæ quo demonstratur Beatam Virginem victricem habuisse Fidem nunquam in ea defecisse nec vacillasse. Vexilla in medio castrorum sunt, vndiquè à militibus custodita, & vallata, ne ab hostibus aprehendi, & capi posint, Fides Beatæ Virginis circum vallata, & circumfulta fuit omnibus charismatibus, & virtutibus, ita vt nũquam periclitari posset, & quamuis ab inimicis inuasa, & corrosa, semper firma, stabilis, & inconcusa reperta fuit, vexillum Fidei omnibus Fidelibus cre-

Lib. 2. de Virg.

Cæsar. lib. 2. de bello gallico.

Amnianus. lib. 27.

Ieremias 6. ve. 1.

dentibus in signum prætulit Beata Virgo, & in sublime tulit, vt Fidei, & Religionis Christianæ hostibus exiberet signũ pugnæ, qua victos omnes ad se traheret, & sub Christi Filij sui militiam conuocaret, vt Beatam Virginẽ alloquens Nicomediensis Antistes Georgius ita humiliter petit, & rogat. *Facem* (inquit) *tamquam signum aliquod tolle, & ad tè dirige orbem terræ.* Et sicut Fides in virtutibus Theologalibus primum locum obtinet, ita in eius obseruatione, & complemento apud cæteras virtutes huic primatum Virgo Beata concesit; vnde vexillum Fidei emicuisse in Maria, Sanctus Ambrosius lætatur.

Lib. 2. de Virg.

§. V.

ANCHORA FIDEI Catholicæ.

MErito Anchoram Fidei Mariam Virginem vocitamus, si Anchoræ officium contemplemur, Anchora est instrumentum ferreum, quo retinẽtur naves, de quo Poeta cecinit.

Anchora nostram,
Non tenet vlla ratem.

Ovidius lib. 3. trist. eleg. 9.

Et quando tempestate iactari nautæ, & fœliciter

ter navigandi nulla spes superst, confugiunt ad Anchoram qua iacta eodem in loco navim retinent, donec fœlcius navigandi se offerat occasio; vnde Anchora pro refugio proverbiali figura, & columna domus sumitur; & quando aliquid præter spē evenire solet, Anchoræ iactū Dominū prævertisse, dicimus, & Sacram Anchoram nominamus, quoties ad extrema refugia confugitur, eamquè tum demum mittimus, quum extremo laboramus discrimine.

Quid mirum vt Anchora Fidei nominetur, Maria Virgo? imò nullo propius vocabulò eius magnitudo explicari valuit, nam Ecclesiæ navis, eiusquè Catholica Fides, nulla Anchora firmius, stabiliri, & firmari potuit quàm precibus, & meritis Beatæ Virginis Mariæ, & periclitantibus simul, & nutantibus Fidelibus ipsa vt Anchora firmior Ecclesiæ navem à ventis tentationum, & Infidelitatis impulsam semper seruavit, & custodivit incolumem, hocquè nunc etiam materno affectu è Cœlo operatur, & si in hoc mari iactamur, ad hanc tutam Anchoram Beatam Virginem confugere debemus, & cum Theolepto ita clamare. *Ad opem tuam ceu ad petram, tutamquè Anchorā Immaculata Virgo confugio. Ne mè repelle, sed toties in peccata lapsum erige.* Od. 1.

Et non solum Anchora tuta est, & Sacra, Beata Virgo, sed & portus securus, vnde si mergamur fluctibus tentationum, vt portum, omnis periculi expertē consequi valeamus, ad hanc vt maris stellam respicere convenit, vnde sic eam Sanctus Ephrem Syrus alloquitur. *Tu noster es portus* Serm. de laud. Virg.

Virgo

Virgo intemerata, nec minus audiendus Episcopus Fulbertus, qui nos omnes in his periculis contitutos sequentia facturos monet. *Oportet* (inquit) *universos Christicolas inter fluctus huius sæculi remigantes attendere Maris stellam hanc, id est Mariam, quæ supremo rerum cardini Deo proxima est, & respectu exempli eius cursum vitæ dirigere. Quòd qui fecerit non iactabitur vanæ gloriæ vento, non frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur Scilæa voragine voluptatum, sed prosperè veniet ad portum quietis æternæ.*

Anchora hæc, Beata Virgo Maria, est Anchora sive remora, Remora est exiguus Piscis crustis & Spinis tectus à remorando dictus, quòd navem cui annixus fuerit, remoretur, teste Plinio, Piscis, est à multis nominatus, sed à paucis visus, tantæ virtutis, vt carinis adhærens, navis tardius ire credatur, & licèt ruant venti, & procellæ sæviant, ita furori imperat, & compescit vires, vt cogat stare navigia, quòd non possunt vincula nec Anchoræ suo irrevocabili pondere iactæ; Anchoræ Fidei Virginis nulla Remora vires opprimere potuit, nec illi vlla accesit remorandi virtus, sed prosperè navim Ecclesiæ fecit, nec inimicorum Fidei iactis, & procellosis ventis agitatam, fluctuare permisit, sed constanter in Fide fundatam, servari curavit, hocquè satis completum videmus quando iuxta Crucem gemebunda in Fide fortis & immobilis Christi Filij sui acerbos dolores, & mortem contemplabatur, & vnis fugientibus, ipsa permanebat, & alijs dubitantibus, ipsa credebat,

Lib. 32. de natura animaliū cap. 1.

bat, Amadeus Frãciſcanus in illo cãtico, *aſcẽdit Deus in iubilatione, & Dñs noſter in voce tubæ*, quèm, raptu octavo, in laudibus Virginis Mariæ ſcriptum, reliquit, verſiculo vigeſsimo ſeptimo, Deum, Matrem ſuam vt Anchoram Fidei in hũc mundum reliquiſſe, narrat ibi: *Matrem ſuam in Mundo dimiſsit, & tamquam Anchoram Fidei ſuæ reliquit.* Raptu 8, cant. aſcendit Deus verſ. 27.

§. VI.

SIGNACVLUM FIDEI.

NOn ſine magna propietate Beatam Virginem Sanctorum multi ſignaculum Fidei vocarunt, nàm ſicut ſignum, cui infigitur, multum adhæret, Fides Beatæ Virginis ita cordi, & menti ſuæ, tamquàm character indelebilis inhærebat, vt exemplar omnibus relinqueret veræ Fidei, quòd imitandum Divus Ildefonſus nobis proponit dicens: *Quæſo vos filij imitamini ſignaculum Fidei veſtræ Mariam Beatam. quàm velut ignis ferrum Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit.* Etiam, *ſignaculum Fidei*, dici poteſt, quia Fides Virginis ita firma, conſtans, & ſtabilis ſemper fuit, vt nulla tribulatione minueretur, neque vacillaret, ita notat Richardus à Sancto Laurentio: ibi: *Vel hoc ſignaculum Fidei Virginis, in qua ſemper immobiliter ſtetit tempo-* Ildefonſus Sermone 4. de Aſſump. Lib. 9. de laud. Virg.

re dominicæ sepulturæ: hoc què rectè à Sanctis Patribus, & scriptorib⁹ adnotatur, cũ nostra Fides ita sit levis, & facile frangatur, & quavis adversitatis vnda amittetur: at Fides Virginis immobilior, imò tempore tribulationis constantior, & firmior.

§. VII.

SCEPTRVM FIDEI.

Hom.6. contra Nestorium.

SAnctus Cyrillus Alexandrinus *homilia sexta* contra Nestorium Beatam Virginem *Fidei sceptrum*, nominat. *Tu* (inquit) *rectę Fidei sceptrum, & norma.* Nàm Virgo Sancta sceptrum extendit Fidei cum credentes ad Cœlum portat, & omnium Catholicorum est hanc Matrem, & ducem sequi. & vivere sub sceptro suæ Fidei ne in ferno sepeliamur, vnde quàm rectè Sanctus Anastasius, malam mulierem sceptrum inferorum appellavit, Quid est mulier in terra? naufragium, fons sceleris sceptrum inferorum; sceptrum signum est regiminis, apponi solet manibus Regum, & Imperatorum ad ostendendam potestatem, quàm in subditos, & vasallos suos exercent, eorumquè in iustitia administanda constantia, & rectitudo: sceptrum, Fidei fuisse Beatam Virginem iuxta Cyrilli sententiam, hoc indicat, Fidem Virginem normam, & exemplum primum rectæ Fidei fuisse eamquè constanter cum omni recti-

q.60. in script

tudi-

tudine, servasse, & vt Reginam Cœli, Fidei sceptrum, in manu portasse, vt Fideles omnes rectè regeret, & gubernaret sub eius Stantes vexillo.

§. VIII.

IMAGO FIDEI.

SAnctus Proc lus Fidei Imaginem Virginem, Mariam vocat in oratione sexta ibi: *Ipsa orthodoxa Fidei expressa imago*, Si propietatem vocis quærimus, Fidei officia examinemus. Imago, vt vera Imago sit debet continere in se omne illud quòd continet illud de quo imago est nàm si in aliquo dissimilis videatur non erit vera, & propia Imago eius, habent se tanquàm repræsentans, & repræsentatum; quomodo ergo Fidei Imago esse potest qui non recte, constanter, & viriliter omnem Fidem servat? Si in aliquo deficit, vel titubat, non rectam Fidem habet, nec Imago eius dici valet quare cum Beata Virgo in Fide semper constans, invariabilis, & permanens extitit, rectè Imago Fidei dicitur, vt Sanctus Proclus ait, alijquè Sancti tenent. *Orat. 6.*

Quomodo non Imago Fidei esset, quæ Imago est, & dici debet plasmatoris sui; audiatur Alanus Verenus iuxta illud Genesis 1. *Faciamus hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram* ita de Beata Virgine describens, *Hæc illa sublimis, & supra omnia exaltata Mater, & Virgo,* *De laud. B. V. Serm. 5.*

quæ post Dominum Iesum Christum splendor quidam gloriæ divinæ, & similitudo ut cumquè proxima omni Sanctæ Trinitati est, portans omnia verbo virtutis divinæ, hoc est, unigenito Filio suo, atquè eodem incomparabili verbo purgationem peccatorum faciens. Est Virgo Maria Mater Domini, Splendor illius reverendæ gloriæ, & Cœlestis pulcritudinis, & bonitatis, omniumquè divinarum virtutum seminarium; omnia, tanta sua virtute portans, & ingenti sua charitate purgationem peccatorum apud omnipotentem Deum impetrans.

Homini speculum reddit Imaginem suam deformatus erat homo per peccatum, quòd ei abstulerat Imaginem Dei, ad quàm factus erat, sed per Beatam Virginem, quæ est fons gratiæ, reformata est in homine Imago Dei per gratiam; hoc pulcris confirmat verbis Sanctus Anastasius Synaita, de Anuntiatione Virginis agens. *Hæc quam agimus celebritas* (inquit) *ac festa dies, sacræ quidèm ac venerandæ huius Virginis Annuntiatio est, mundi autem universi natalitius dies: quippe universa suo quæque ordini asserta sunt; priorquè deformitas decorem accepit. Quia nimirum, nostri causa, similis nobis factus sit, qui nos fecit, veteratam ipsius, ac corruptam Imaginem renovans, eamquè eximia quadam pulcritudine instaurans in hæc fere verba ad nos clamans ex quo hodie ficti formatiquè defluxistis, atquè in mortem detracti estis; hodie vestri causa, fictor ego fingor, ut mea hac carne nunc ficta, in vitam vos pristinam reducam, idcirco cum morte con-*

Serm. I. de An.

grediens, eamquè perimens, vti plane dignum erat.

Misertus Deus Pater peregrinorum, impressit suam Imaginem Filium suum, qui est candor lucis æternæ, speculum sine macula, & Imago bonitatis illius, ceræ nostræ humanitatis; vt illam Imaginem Dei Filium nobiscum habentes in nostra humanitate impressum, humanatum, & Incarnatum, haberemus ad Paradisum aditum liberum, ad quem non alia sufficiunt monimenta nisi solum istius Imaginis impressio, & Incarnatio facta de qua canit Diuinus Psaltes. *Veruntamen in Imagine pertransit homo*; *O Maria vera Imago diuini Archetypi tectè* descripta, vt Andreas Cretēsis cēset. *Imago Virginitatis*, vt Diuus Ambrosius canit *Orthodoxæ Fidei expressa Imago*, vt Cyrillus Alexandrinus concludit. *Sapientiæ 7.* *Psal. 38. ver. 7.*

§. IX.

PROPVGNACVLVM Christianæ Fidei.

ANdreas Cretensis Episcopus, qui in Virginis laudem plenis, & passis velis excurrit, Mariam Christianæ Fidei propugnaculum dicit eandem Cœlo affirmat esse puriorem, Seraphicis mentibus celsiorem, hominum Dominam, & Thesaurum Trinitatis. *Encomium de dormit. Deip.*

In canticis canticorum Sponsa, Murus, nominatur,

natur, & sponsus super eam ædificare iubet propugnacula argentea. *Si murus est* (inquit Sponsus) *ædificemus super eam propugnacula argentea.* Hunc locum elucidans Alanus à Rupe, in Beatæ Virginis laudem ita exponit. *Si firmum* (inquit) *propositum habet Virginitatem servandi quàm Deo vovit* (*quod quidem habet*) *ædificemus super eam propugnacula argentea, id est instruamus eam in scientijs divini eloquij, vt credat de se nasci Filiũ Dei iuxta authoritates Divini Verbi: si observaverit Virginitatẽ carnis, & animi* Nihil mirũ, vt propugnaculũ Fidei Christianæ vocetur Maria, *cum portam perquàm intravit Iesus Fidem Mariæ*, Sanctus Anselmus appellet: *Deceretquè prorsus, vt virtutum vniversarum varietate decorata, quæ de Cœlo suscepit verbum, Fide conciperet filium*, vt verbis Laurentij Iustiniani vtamur. *Et pulchra in Fide qua credidit omnia credenda supra se, & qua credidit omnia perficienda in se*, vt Divus Bonaventura testatur, meritò propugnaculum Christianæ Fidei à Sanctis Beata Virgo pluries conclamatur.

Cant. 8. vers. 9

In cantic. canticorum. cap. 8.

In cap. 10. Luc.

Serm. de Nat. Virg.

In speculo cap. 8.


Ad hanc Fidei nostræ normam, speculum, & Imaginem Beatam Virginem Mariam, quoties de Catholica Fide quæstio agatur recurrere sedulo tenemur; vt fortes in ea adversus hostium insidias, hæresum, & Hæreticorum cavillosas obiectiones decertare valeamus qua protegente, nos, & illos ad æternitatis gaudium perducere facillimè consequuturos posse non desperemus; adiuvante illo, & miserante, qui sine fine vivit, & regnat in sæcula, sæculorum. Amen.

ΑΚΡΟ-

ΑΚΡΟΤΕΛΕΥΤΙΟΝ,

OPERIS UNIUERSI

CONCLVSIO.



PTAREMVS, ò Piissima Mater, vt pro tuæ Fidei defensione quot verba, tot adversus hostes tuos fortissima in hoc opusculo existerent tela vt debellarentur eorum versutiæ, & garrulitates. Non sufficit visi nostra, nàmquæ ex propria penu elaborata exhibuimus, satis inermia videntur; & quæ ex aliorum sudore collecta, exposuimus, non rectè digesta, noscimus; sed cum semper totum quòd sit optimum, de super missum credamus; è superis iubar te opitulante, speramus; non pro inimicorum tuorum Spirituali salute solum postulantes, sed pro Fidei nostræ incremento preces

exhi-

exhibentes ; ſed cum fidere in no
non debeamus ſupplicationibus , a
cum noſtra interpellatione patro
diligimus quos cotidie invocamus
per te, ò Magiſtra Fidei, à Deo pet
vt non modo Fidei ſinceritate, tum
vita ; tum in morte perſiſtamus ,
etiam res Fidei ita apprehendamus
penetremus , vt ad conformiter ei
vendum ; agendumque cum div
gratia moveamur. Patronos eligim
Apoſtolum Thomam , qui dubitat
ne , & incredulitate in qua primi
fuit , à Chriſto poſt Reſurrection
deterſa ; firmiſſimus deinde in Fi
imò , & eximius Fidei Magiſter e
ctus eſt. Talem videmus Apoſtol
Barnabam *plenum Fide , & Spir*
Sancto. Talem Sanctam Teclam, q
miris Sanctorum Patrum laudibus
lebratur, & de ea canit atque orat E
cleſia , *vt eius tanta Fidei proficiam*
exemplo. Talem Sanctum Gregori

Thau-

Thaumaturgum; Talem deniquè Divum Petrum Martyrem Ordinis Prædicatorum in cuius itidem festo die precatur Ecclesia. *Vt eius Fidem congrua devotione sectemur.* Et alios tales quàm plurimos Sanctos; sed præcipuè Sanctorum omnium te Dominam Reginam Virginum cui Sancti omnes vti aliarum virtutum ita Fidei principatum deferunt, cuius specimen cum potissimum in Pasione, & morte Filij, & suo illo agone dolorumquè omnium in anima conflictu dederit; dignetur, & nunc, & in mortis nostræ morumquè lucta, in qua Fidem nostram potissimum opugnare solet Dæmon; *vt & in Fide inveniamur stabiles, & in opere efficaces, & in caritate, & gratia perseverantes.* Petas, & precamur, ò Virgo Mater, vt Vnigenitus Filius tuus Hæreticorum mentes illuminet, errores auferat, ad Pascua Ecclesiæ vehat, vt simul omnes te

Do-

Dominam ac Reginam nostram, Matrem Domini nostri, & tui, Fidei Magistram, & Virginem perpetuam, incesanter confitentes, ad æterni guadij consortium cum Sanctis omnibus adiungi, & commisceri benignitas sua patiatur. Amen.

LAVS DEO.

IVxta Ecclesiæ Romanæ sensum, eiusquè sanam, & indubitabilem doctrinam opusculum hoc scriptum censemus; sed si aliquid dissonum, vel devium vnquàm reperiatur, correctioni tantæ matris libentissimè submittimus, & corrigi paramur.

FINIS.

